HISTORIA CONCILIORUM GENERALIUM.

LIBER TERTIUS,

AUCTORE

Magistro EDMUNDO RICHERIO,
Doctore ac Socio Sorbonico.



COLONIÆ,

Apud BERNARDUM HETSINGH.

CIↃ IↃC LXXXIII.



HISTORIA
Conciliorum Generalium.
LIBER III.
CAPUT PRIMUM.

I. *Synodus Papienſis transfertur Senas op Peſtilentiam: & de geſtis Concilii Senenſis.*
II. *De cauſis propter quas Senenſe Concilium tranſlatum eſt Baſileam de Nationum conſenſu.*
III. *Martinus V. Julianum Cardinalem Sancti Angeli Legatum ſuum & Præſidem Baſileenſis Concilii cooptat, quam præſidendi Provinciam Eugenius IV. poſt Martini obitum eidem Juliano Cardinali prorogat & confirmat.*

I. SYnodus Baſileenſis à Conſtantienſi velut rivus à fonte ſcaturit: nihilque eſt aliud quam praxis & exequutio Decretorum IV. V. XXXIX. XL. & XLIV. Seſſionum Concilii Conſtantienſis. Enimvero, cum Patres Conſtantienſes Seſſione XXXIX. juſſiſſent proximum Concilium à Synodo Conſtantienſi in quinqennium proximum prorogari: Martinus V. Seſſione XLIV. ut huic ſatisfaceret legi & conditioni, Papiam civitatem de conſenſu Patrum Conſtantienſium tanquam habendo Concilio idoneam nominavit: & Papienſe Concilium in quinquennium propinquum indixit. Quamobrem, anno MCCCC

XXIII. multi Prælati à Nationibus & Provinciis delecti, reformandæ Ecclesiæ desiderio sese Papiam contulerunt: Cum autem Papia lue pestilentissima afflictaretur, Synodus de omnium Nationum consensu inde Senas transfertur: ut Actis Senensis Concilii liquet quæ quidem hic integra exscribam, quando Tomis Conciliorum non habentur: ea autem Nicolaus Faber, Ludovici XIII. Præceptor mihi dedit.

ACTA
CONCILII SENENSIS
Anno Domini MCCCC XXIII.

De Translatione Concilii Papiensis ad Senas.

„DE Translatione Concilii Generalis à „civitate Papiensi ad civitatem Senarum „facta anno Domini MCCCCXXIII. die XXII. „mensis Junii, sciendum quod anno prædi„cto die XXI. prædicti mensis, in dicto Con„cilio existentibus pro parte Domini nostri „Papæ Martini V. Reverendis in Christo Pa„tribus & Dominis Petro Archiepiscopo „Spoletano, Petro Abbata de Rosaco, „Aquiliensis diœcesis, Ordinis sancti Be„nedicti, & Leonardo Magistro & Ge„nerali Ordinis Prædicatorum, & aliis

„Præ-

„ Prælatis & Doctoribus, de divisis nationi-
„ bus. Reverendus in Christo Pater Dominus
„ Abbas sancti Ambrosii Mediolanensis de
„ mane, Illustrissimi Principis Domini Du-
„ cis Mediolanensis præsentavit præfatis Do-
„ minis de Concililio literas credentiales, vir-
„ tute quarum, idem Dominus Abbas ex-
„ posuit magnam benevolentiam quam di-
„ ctus Princeps habebat ad ipsum Conci-
„ lium. Et quia dolenter intellexerat in di-
„ cta civitate Papiensi pestilentialem epide-
„ mialem vigere, dictis Dominis de eminenti
„ periculo volens eis præcavere, præsenta-
„ bat dicto Concilio omnes civitates & oppi-
„ da suorum dominiorum demptis duntaxat
„ duabus civitatibus Brixia, & Mediolano.
„ Quibus auditis Domini de Nationibus re-
„ traxerunt se ad partem in aula exteriori,
„ Commissariis Domini nostri Papæ in aula
„ interiori remanentibus. Et quia dicebatur
„ quod idem Dominus Abbas habebat illo die
„ necessario reverti, & referre responsionem
„ ad Dominum Ducem prædictum: post plu-
„ res instantias præcipitativas, iterum dictam
„ Cameram sine concordia de loco Translati-
„ onis, ubi post multas altercationes hinc inde
„ habitas, Dominus Andreas Poznaniensis E-
„ piscopus pro se & illis de natione Germanica
„ qui erant quatuor in numero, cum videret
„ quod non posset faciliter haberi concordia
„ dixit præmissis Commissariis, quod onerabat

 „ dictos

„ dictos Commissarios de electione loci, pro
„ Translatione dicti Concilii, salvis semper
„ in omnibus Decretis Concilii Constantien-
„ sis. Consequenter dominus Philebertus
„ Ambianensis Episcopus pro illis de natione
„ Gallicana, qui erant ibi sex in numero
„ similiter respondit. Postremo vero domi-
„ nus Ricardus Episcopus Linconiensis pro
„ natione Anglicana, quæ plus abundabat in
„ suppositis, respondit similiter & addidit,
„ quod locum, quem dicti commissarii eli-
„ gerent, dicta natio ex tunc eligebat.
„ Nullus autem erat ibi de natione Hispani-
„ ca, neque de Italica præter dictos commis-
„ sarios. Et sic domini iverunt ad prandium,
„ quia etiam jam erat hora tarda. In crastino
„ vero de mane tenebatur Sessio in qua post
„ celebrationem Missæ per dominum An-
„ dream Poznaniensem prædictum, præsi-
„ dentem pro dicto Spoletano Episcopo,
„ cantatis litaniis & cæteris orationibus more
„ solito, idem dominus Andreas ascendens
„ Ambonem legit quandam schedulam, quæ
„ nunquam fuerat visa per Nationem Gal-
„ licanam, cujus tenor sequitur in hunc
„ modum.

Decretum de ipsa Translatione ex causa pestis.

„ SAcrosancta Synodus generalis Papien-
„ sis in Spiritu sancto legitime congrega-
„ ta, causa pestis inibi notorie vigentis,
ipsam

„ ipſam civitatem Papienſem mutat, & loco „ ipſius civitatem Senarum in natione Italica „ conſiſtentem tanquam habilem & locum „ ſufficientem pro continuatione ejuſdem „ ſacri Concilii, tenore præſentium eligit „ atque deputat. Qua ſchedula perlecta, do- „ minus Petrus Archiepiſcopus Cretenſis „ reſpondit Placet pro natione Italica, licet „ non haberet ſuper hoc mandatum à natio- „ ne, nec natio viderat ſchedulam prædi- „ ctam. Magiſter Nicolaus de Suzato Do- „ ctor in Theologia ſimiliter reſpondit pro „ natione Germanica, & dominus Richar- „ dus Linconienſis Epiſcopus pro natione „ Anglicana.

ACTA SENENSIS CONCILII.

Sequitur Decretum de approbatione proceſſuum & continuatione in futurum contra Huſſitas hæreticos.

„ SAcroſancta Synodus Senenſis generalis, „ in Spiritu ſancto legitime congregata, „ univerſalem Eccleſiam repræſentans: In „ ea Petro Archiepiſcopo Cretenſi, Jaco- „ bo Epiſcopo Spoletano, Petro Abbate de „ Roſacco Aquileienſi & Leonardo Ma- „ giſtro & generali Ordinis Prædicatorum, „ Nunciis ſanctiſſimi in Chriſto Patris & „ Domini Domini Martini Papæ V. unici „ & indubitati ſummi Pontificis ſpecialiter

„ deputatis, ipſiuſque reformationem intendens, incipiens à fidei fundamento præter „ quod nemo poteſt aliud ponere, damnationem hæreſeum Wiclefuiſtarum & Huiſſitarum, ſuorumque Sequacium extirpationem. Deinde per præfatum ſanctiſſimum Dominum Papam Martinum pro viribus procurata tam Principum, Baronum, diviſorumque populorum exhortatione & requiſitione, tam etiam plenariæ Indulgentiæ conceſſione illas proſequentibus, cum pro tali habitione ad diverſas partes bina deſtinatione Legati de latere, ratas & gratas habens approbat & confirmat contra eoſdem continuando proceſſus. Decernit omnes perſequentes ac procurantes extirpationem dictæ ſectæ gaudere omnibus juribus, privilegiis & indultis à jure vel ab homine peccatorum veniam concernentibus contra hæreticos inſurgentibus, conceſſis, vel contra infectos labe dictarum hæreſeum quomodocumque omnes & ſingulos ejuſdem Concilii auxiliis vel favoribus exiſtentes, ac eoſdem defendentes vel receptantes, necnon victualia, ſpecies aromaticas & pannos, ſal, pulveres, bombardas, plumbum, vel arma, ſive inſtrumenta bellica, ſeu res alias quaſcumque eis adducentes, ſive alia quævis negotia vel commercia publice vel occulte facientes, cum eiſdem eos etiam qui ſcienter per dominia, ter-

„ ras, districtus, vel suæ ditioni subjecta præ-
„ termissa in toto vel in parte præfatis hæreti-
„ cis adduci seu apportari vel subditos suos
„ cum eis negotiari permiserint, pœnis & da-
„ mnationibus contra hæreticos promulgatis,
„ obnoxios fore, ac subditos, jurisdictionem,
„ quorumcunque judicum extirpationem
„ hæreticæ pravitatis, privilegiis, exemptio-
„ nibus, immunitatibus, salvis conductibus,
„ à quibuscumque personis Ecclesiasticis vel
„ secularibus, etiamsi Pontificali, Imperiali,
„ Regali & Ducali aut alia quacumque Ec-
„ clesiastica vel seculari præfulgeant digni-
„ tate concessis vel concedendis, non ob-
„ stantibus quibuscumqe. Insuper omnes
„ Christianæ Religionis Principes ac Domi-
„ nos tam Ecclesiasticos quam seculares hor-
„ tatur, invitat & monet per viscera misericor-
„ diæ Dei ad extirpationem tanti per Eccle-
„ siam prædamnati erroris omni celeritate, si
„ divinam ultionem & pœnas juris evitare vo-
„ luerint, evigilent & intendant. Nihilominus
„ disponens hæc sancta Synodus ante ejus
„ dissolutionem super hujusmodi decreti exe-
„ quutione efficacius providere.

Ratificatio condemnationis factæ per Constantiense Concilium contra Petrum de Luna & aggravatio contra succedentes & participantes.

„ ITem hæc sancta Synodus, sententiam
„ damnationis & condemnationis in perso-

,, nam damnatæ memoriæ P. de Luna olim
,, Benedicti XIII. in sua obedientia nuncu-
,, pati, schismatici & hæretici pronunciati
,, per sacrum Constantiense Concilium, &
,, inhibitionem factam omnibus & singulis
,, Christi fidelibus sub pœnis fautoriæ hæ-
,, resis & schismatis ac privationis omnium be-
,, neficiorum, dignitatum & honorum Eccle-
,, siasticorum ac Mundanorum, & alias pœ-
,, nas juris infligendo, prout in dicta senten-
,, tia præfati Concilii, cujus totum tenorem
,, hic haberi vult & habet pro sufficienter ex-
,, presso latius continetur, ratam & gratam
,, habens ejusque exequutionem continua-
,, tionem continuare volens, decernit, sta-
,, tuit & declarat, omnes & singulos post
,, obitum dicti Petri de Luna continuantes
,, seu perseverantes in credulitate vel obser-
,, vantia erroris & schismatis ejusdem Petri,
,, sic ut præmittitur damnati vel jus aliquod
,, ab eo in eas directe vel per indirectum deri-
,, vasse aut derivari potuisse, prætendentes seu
,, in vicem ejus succedentes, eorumque re-
,, ceptatores, defensores & fautores cujuscum-
,, que status, præeminentiæ, vel conditionis
,, existant, etiam Pontificali, Cardinalatus, Im-
,, periali vel Regali aut alia quacunque Eccle-
,, siastica vel seculari præfulgeat dignitate,
,, omnesque & singulos ejusdem Consilii, au-
,, xiliis vel favoribus assistentes vel receptan-
,, tes, necnon quemcumque victualia, species
aro-

„aromaticas, & pannos, sed & plumbum,
„pulveres, bombardas vel arma, seu in-
„strumenta bellica, seu res alias quascum-
„que eis adducentes, sive alia quæcumque
„negotia, vel commercia publice vel occul-
„te facientes cum eisdem, eos etiam qui
„scienter per dominia, terras, districtus vel
„loca suæ ditioni subjecta præmissa in toto
„vel in parte præfatis hæreticis adduci vel ap-
„portari vel subditos suos cum eis negotiari
„permiserint, fore obnoxios atque ligatos
„pœnis & censuris in dicta sententia conten-
„tis cum etiam novi erroris inventores non
„sint, alieno tamen facinori prædamnato
„suam communionem immiscuerunt, nullo
„eisdem exceptionis, immunitatis, privi-
„legii, statuti vel consuetudinis præsidio
„suffragante, per hanc tamen approbatio-
„nem & declarationem statutum sive Decre-
„tum non intendit privilegiis, habilitationi-
„bus, declarationibus quibuscunque personis
„per sanctissimum Dominum nostrum Pa-
„pam Martinum V. concessis & concedendis
„præjudicium generare seu in aliquo dero-
„gare.

Concessio Indulgentiarum persecutoribus Hæreticorum.

„ITem quoniam propter negligentiam
„quorundam ordinariorum & inquisito-
„rum deputatorum extirpationi hæreticæ

„ pravitatis, in diverſis mundi partibus variæ „ hæreſeum ſpecies pullularunt in gravem Dei „ offenſam, fidei Catholicæ detrimentum & „ multarum animarum perditionis, volens „ hæc ſanctaSynodus remedium adhibere, ſta- „ tuit atque mandat omnibus & ſingulis lo- „ corum ordinariis, ac inquiſitoribus hæreticæ „ pravitatis, ut timore, favore, amore & odio „ quibuſcumque poſtpoſitis, juxta juris for- „ mam, ſolicite intendant inquiſitioni & ex- „ tirpationi hæreſeum quarumcumque & „ quam primum eis conſtiterit in locis ſuæ „ juriſdictionis aliquos dicta labe infectos „ exiſtere, eorum captioni & punitioni in- „ tendant ſecundum canonicas ſanctiones „ quodque ut favoribus opportunis circa hoc „ eiſdem ordinariis & inquiſitionibus aſſiſta- „ tur, conſtitutioni Bonifacii VIII. diſpo- „ nenti ſuper inveſtigatione, captione, cuſto- „ dia & punitione hæreticorum, fautorum „ fienda & procuranda per Dominos & recto- „ res temporales locorum adeſſe cupiens, ſta- „ tuit hæc ſancta Synodus quod quicumque „ capientes hæreticos & in poteſtatem ordi- „ nariorum vel inquiſitorum hæreticæ pra- „ vitatis effectualiter ponentes, vel eos quos „ detinere ſeu capere non poſſent, de eorum „ territoriis omnes expellentes aut bannien- „ tes, ſeu etiam requiſiti brachium ſecu- „ lare contra eos præſtantes eam indulgen- „ tiam conſequantur, quæ dari conſuevit

„ per-

„ personaliter proficiscentibus in subsidium
„ terræ sanctæ. Mandat etiam omnibus ad
„ quos spectat deputare inquisitores hæreticæ
„ pravitatis ut in deputatione servetur Con-
„ cilium Vienense ac in locis insignibus vel
„ ubi frequentius pullularet hæresis quos-
„ cumque non deputent nisi magistros in sa-
„ cra pagina, si tamen commodo possint.
„ Alioquin alios doctores & aptiores quos po-
„ tuerint reperire, hujusmodi quoque De-
„ cretum, prima & quarta dominica quadra-
„ gesima, in festo nativitatis & resurrectio-
„ nis Domini nostri Jusu Christi, ordinarii
„ in suis Ecclesiis principalibus, inquisitores
„ vero præfati in Ecclesia insigni civitatis vel
„ diæcesis ubi magis viderint expedire quan-
„ do populus convenit ad divina singulis annis
„ perpetuo intelligibiliter publicare tenean-
„ tur, & singulis dominicis diebus publice
„ nunciare candelis accensis pariter & extin-
„ ctis, & in terram projectis campanisque
„ pulsatis, omnes hæreticos credentes, re-
„ ceptatores, fautores & defensores eorum-
„ dem excommunicatos & tales ab omnibus
„ evitari. Hanc autem publicationis formam
„ quæ ad constitutiones præfatas Wiclefui-
„ starum & Hussitarum, & schismaticorum
„ quousque viguerit, hoc sancta Synodus ob-
„ servari decrevit. Quod si prædicti ordinarii
„ vel inquisitores circa observantiam hujus-
„ modi statuti se remissos ac negligentes red-
„ di-

„diderint, pœnam suspensionis ab ingressu „Ecclesiæ per quadrimestri temporis spa„tium eo ipso incurrant, ac in provinciali„bus seu Synodalibus Conciliis pro modo „culpæ seu negligentiæ contra tales negli„gentes ultra prædictam pœnam providea„tur de remedio opportuno privilegiis, ex„emptionibus, consuetudinibus & statutis „contra præmissa disponentibus non obstan„tibus quibuscumque.

Statuta super materia redactionis Græcorum.

„ITem in nonnullis generalium Concilio„rum convocationibus, Romani Ponti„fices, pro tempore existentes conati sunt „Ecclesiam Orientalem reducere ad unio„nem universalis Ecclesiæ in necessaria fide „Jesu Christi Salvatoris: sanctissimusque „Dominus noster Papa Martinus V. paterno „ejus affectu compatiens & afferens, omnes „errantes ad unicum Christi ovile redu„cere perquirens, solicite Nuncium pro„prium sufficienti potestate munitum ad Pa„triarcham & Imperatorem Constantinopo„litanum destinando, ut unioni & gremio „sanctæ Matris Ecclesiæ possent reincorpo„rari, cujus nuncii expositione audita, Im„perator respondit prout in ejusdem literis „aurea Bulla im   latius „continetur cujus tenor infra habetur. Ex „quibus apparet cum ipsis talia istis tempori-

bus

„ bus non posse utiliter & fructuose pertra-
„ ctari. Quare hæc sancta Synodus conside-
„ rans reformationem Catholicæ Ecclesiæ
„ necessariam fore, eis pro nunc non aliter
„ expectatis decernit ad dictam reformatio-
„ nem fore procedendum, & cum se facultas
„ obtulerit, vigilare divina clementia since-
„ roque cordis affectu pro viribus intendere
„ eorum reductioni ad gremium fidei Catho-
„ licæ.

„ Hoc lecto ostendebatur litera Patriar-
„ chæ Constantinopolitani, Bulla aurea si-
„ gillata & in Græco pariter & in Latino scri-
„ pta: & primo legebatur Græcum per Ma.
„ unum secretarium Do-
„ mini nostri Papæ, & consequenter Lati-
„ num per dictum Ma. Azel cujus
„ tenor sequitur.

Instrumentum relationis de Ambasiata facta ad Græcos ex parte D. Papæ, & continet novem Conclusiones.

„ IN individuæ sanctæ Trinitatis nomine,
„ Amen. à Christi nativitate anno MCCCC
„ XXII. indictione XV. die XIV. Novembris
„ Constantinopoli urbe regia in præsentia
„ Domini Imperatoris Romeorum, præsen-
„ tibus testibus infra scriptis, ad hæc omnia
„ & singula vocatis & rogatis Reverendissi-
„ mus & integerrimus vir atque clementissi-
„ mus sacræ Theologiæ Professor Magister
„ An-

„ Anthonius Maſſanus, qui dicitur Orator
„ & Nuncius Apoſtolicus in partibus Græ-
„ ciæ ad diem x. Septembris milleſimi ſupra-
„ dicti, Conſtantinopolim applicuit, qui
„ majori ſuæ honeſtati conſulens divertit in
„ peram ad Conventum Ordinis fratrum mi-
„ norum; ſtatimque per reverendos & ho-
„ neſtiſſimos viros fratrem Gulielmum con-
„ feſſorem excelſæ & Chriſtianiſſimæ Impe-
„ ratricis, & Magiſtrum Joannem præfati
„ Oratoris ſocium. Et Sereniſſimo Principi
„ Domino Manueli Dei gratia Romeorum
„ Imperatori idem ſignificavit, primo ſe eſſe
„ Nuncium Apoſtolicum miſſum ad ſuam
„ Majeſtatem Imperialem deinde ubi & quo
„ in loco eidem gerens morem ſeceſſerat.
„ Tertio vero quandocumque ſua Imperia-
„ lis Majeſtas pro eo mitteret ipſe ſemper pa-
„ ratiſſimus eſſet. Cui quidem Domino Ora-
„ tori Jo. Dominus Imperator per
„ eoſdem dominos venerabiles fratres ad
„ ſuam ſerenitatem tranſmiſſos hujuſmodi
„ reſponſum dedit. Primum lætari ſe pluri-
„ mum de ipſius adventu; de loco autem in
„ quo erat vehementer congratulari, & ita
„ meliorem eligere non potuiſſet: domum
„ vero quod propediem pro eodem mittent
„ quo voluntatem beatiſſimi ſummi Pontifi-
„ cis audiret. Poſtea vero cum ad diem XVI.
„ ejuſdem Menſis Septembris ipſe Dominus
„ Imperator miſit idem reverendiſſimus Pater
„ Do-

„Dominus Nuncius Apoſtolicus ad Impe-
„riale palatium profectus eſt honorificentiſ-
„ſime aſſociatus & ab honorabili domino Ba-
„julo Illuſtriſſimi Ducalis Dominii Veneto-
„rum, & alia multitudine nobilium copioſa
„tam Græcorum quam Latinorum ibique
„facta Majeſtati Imperiali reverentia debita,
„eidem Bullas ſanctiſſimi in Chriſto Patris
„& Domini Martini divina providentia Pa-
„pæ V. præfatus Dominus Orator propriis
„ipſis manibus porrexit, atque benedictio-
„ne ſanctitatis appoſita aſſignata dixit habere
„ſe ex mandato Apoſtolicæ ipſius Sanctita-
„tis, & ſuæ Serenitatis & reverendiſſimo in
„Chriſto Patri Domino Patriarchæ novem
„quæſtiones exponere, quibus Dominus
„Imperator reſpondit ſuo loco & tempore
„illas exponendas iterum ſe pro eodem domi-
„no Oratore miſſurum: ad diem autem
„III. Octobris cum idem Illuſtriſſimus Im-
„perator Manuel mittere inſtituiſſet veluti
„antea dixerat, ut ipſe una cum Domino
„Patriarcha eas novem concluſiones expo-
„nendas attenderet, graviſſima infirmitate
„oppreſſus eſt & adeo oppreſſus repente, ut
„& loquelam omnem, ac ſenſus omnes pe-
„nitus amiſerit. Quamobrem die decima
„ejuſdem menſis Octobris, idem reverendiſ-
„ſimus dominus Orator & Nuncius Apoſtoli-
„cus, per ſupradictos fratres Gulielmum con-
„feſſorem, & Magiſtrum Joannem trans-
„miſ-

„ missos ad Illustrissimum Principem domi-
„ num Joannem ejus Serenissimi domini Ma-
„ nuel Filium primogenitum atque Romeo-
„ rum Imperatorem in prædictis designatum,
„ primo apud ipsius Majestatem condoluit de
„ adversa & valetudine excelsissimi
„ Patris sui, deinde modestissime ac ipsi signi-
„ ficavit quod legatio beatissimi summi Pon-
„ tificis in longiusculum trahebatur. Ad diem
„ vero decimam quintam ejusdem mensis
„ Octobris, idem Illustrissimus dominus Jo-
„ annes Imperator Junior, advocato in suum
„ Imperiale palatium præfato Reverendissi-
„ mo Patre Magistro Anthonio Massano, di-
„ gnissimo Nuncio Apostolico, illam sacratis-
„ simam Pontificis summi legationem in no-
„ vem conclusiones distributam in secreto au-
„ divit, rejectis ac remotis omnibus præter
„ suorum aliquos. Quibus quidem novem
„ conclusionibus accuratissime auditis post
„ pleraque verba dixit usque ad dies paucos,
„ ad ea se responsurum quæ ipsi domino Ora-
„ tori placita fierent. Vicesima autem die
„ ejusdem mensis Octobris reverendissimo in
„ Christo Patre & Domino Domino Patriar-
„ chæ Constantinopolitano supradicto publi-
„ ce in Ecclesia sancti Stephani coram suis
„ metropolitanis Calogeriis & Præpadibus at-
„ que aliis multis tam Græcis quam Latinis
„ hominibus, idem dominus Nuncius Apo-
„ stolicus easdem novem conclusiones expo-
„ suit,

„ fuit, quibus & ipfe Reverendiffimus quo-
„ que dominus Patriarcha ufque ad dies pau-
„ cos refponfurum affirmavit. Ipfæ vero con-
„ clufiones quas Illuftriffimo Domino Impe-
„ ratori atque reverendiffimo in Chrifto Patri
„ Domino Patriarchæ præfatus dominus
„ Orator retulit, hæc habent de verbo ad
„ verbum.

„ Sanctiffimus & beatiffimus qui habet cœ-
„ lefte arbitrium, qui eft dominus in terris
„ fucceffor Petri, Chriftus domini, domi-
„ nus univerfi, regum Pater, orbis lumen,
„ fummus Pontifex Papa Martinus, divina
„ providentia Papa V. mandat mihi Magiftro
„ Antonio Maffano ordinis minorum Oratori
„ & fuo nuncio in partibus Græciæ hæc mora
„ vobis reverendo in Chrifto Patri & Domi-
„ no Domino Jofeph Patriarchæ digniffimo
„ Conftantinopolitano, & Sereniffimis Prin-
„ cipibus Manueli & Joanni Romeorum Im-
„ peratoribus Paleologis novem nunciare
„ maximas fententias.

„ Quarum prima fundatur in Domini no-
„ ftri Papæ ad unionem ardentiffimo defide-
„ rio, cum enim omne ex natura fua tendat
„ ad unionem, quia non vult totum à fuis par-
„ tibus feperari, nec partes à fuo toto ut unio
„ fervetur, poftea quoniam virtus unita for-
„ tior eft difperfa: Sanctiffimus Dominus Papa
„ non tantum defiderat unionem ex natura, fed
„ etiam ultra naturam inclinatam. Tantum

„optat ratione bonitatis Pontificatus Domi-
„ni noſtri, feliciſſimam videre diem illam Ec-
„cleſiarum Latinæ Græcæque unionis, ut
„præter Deum nihil ſupra: Deinde intendit
„pro hac, totum Eccleſiæ Romanæ licitum,
„juſtum apponere atque honeſtum: & quod
„felicius hac in vita ſuæ Sanctitati occurrat
„certe ei non venit in mentem: & totum
„Collegium dominorum Cardinalium omiſ-
„ſis omnibus, quaſi de re alia non pertractat
„quam de iſta ſanctiſſima unione. Sed quid
„dicam de domino Legato reverendiſſimo
„Cardinali ſancti Angeli qui ut inferius ex-
„planabo ad mortem ſe poſuit in horrendo
„mari contra omne medicorum conſilium,
„tam accenſo harum Eccleſiarum Græcæ
„& Latinæ deſiderio ardebat concludendi
„unionem, ut ecce dicamus deſiderio deſide-
„ravit Chriſti vicarius cum ſuis Cardinalibus
„hoc paſcha unionis, communionis, & pa-
„cis ſecure nobis cum Græcis unica in Eccle-
„ſia Catholica & Apoſtolica rugam non ha-
„bente ſchiſma neque dolos.

„Secunda concluſio, in ſuum habet jus
„malis & periculis quæ ex hoc ſchiſmate pro-
„venerunt hactenus, & quotidie proveniunt
„tam ſpiritualiter quam temporaliter. Quæ
„lingua, Pater Patriarcha & Romeorum
„Imperator, ſufficit explicare ex hac peſti-
„fera diviſione ſanguinis effuſionem, homi-
„num ſtragem, ſucceſſiones, furta, adul-
„teria,

„ teria, homicidia & similia mala ineffabilia.
„ Propter hoc pessimum malum Græcia no-
„ bilis, tam florida, perdidit proprietatem
„ dominii, secularem sapientiam ac morum
„ strenuitatem, Principum nobilitatem, ple-
„ nitudinem populorum, mercatorum afflu-
„ entias, maris potestatem, in præsenti vero
„ Græcia omnis amissa utriusque hominis pa-
„ ce guerris inimicorum crucis Christi undi-
„ que premitur & in servitutem redigitur.
„ Quid scelestius dici posset? quam quod in-
„ fideles, fideles Christianos suppeditantes
„ hæc arma movere cogant ut plurimum
„ contra Christianos? Quid inhonestius quam
„ ut pudicæ dominæ Græcorum, alias timo-
„ re, nunc amore per viros suos nunc admit-
„ tantur ad tortorum conjugium, imo per
„ parentes ad dispensationem si dispensatio ha-
„ bet dici. Nos utique Latinos abominantes
„ & vocantes nos schillos francos cum simus
„ ejusdem fontis renati baptismate, ejusdem-
„ que cœlestis Patris filii atque hæredes &
„ fratres. Sed quod deterius est, nisi ista cesset
„ scissura, omnes nunc tam Tartaris quam
„ Turcis obedient, & renunciabunt Euan-
„ gelio Christi, & jam servi fient Mahome-
„ tis, ex carentia prædicatorum pacem, unio-
„ nem & salutem annunciantium eis. Sed cir-
„ ca periculum, ne pereat præsto ex toto
„ Græciæ Monarchia irrecuperabiliter, dari
„ forsan Concilium nulliter salubrius quam

,, se nobiscum unire charitatis vinculo, ut
,, fiat velut antea unum ovile, & unus pastor:
,, & ut Filii Dei Græci qui sunt aliqui in Græ-
,, cia, aliqui in Armenia, aliqui in Syria, ali-
,, qui in Bulgaria, aliqui in Turchia, &c. &
,, congregentur in unum Ecclesiæ Romanæ
,, consensum, alias omnia per brachium infi-
,, delium remedia periculosa certe sunt.

,, Tertia conclusio solvatur in requisitione
,, promissi: quoniam reverendus Pater &
,, Dominus Episcopus Slomen, & Dominus
,, Nicolaus Eudemon Joannes, obtulerunt
,, & dixerunt aperte, districte & clare omni
,, semota obscuritate, Domino & Sanctis-
,, simo Papæ Martino V. voluntatem esse Pa-
,, triarchæ reverendissimi Constantinopoli-
,, tani, & sereniss. Romanorum Imperato-
,, rum, procurare ac curare sine fraude &
,, dolo sanctissimam unionem Ecclesiæ Græ-
,, corum cum Ecclesia Latina, sub illa fide
,, quam Sancta Romana Ecclesia tenet &
,, obedientia ad eandem Ecclesiam Roma-
,, nam: ut intendit Dominus noster Papa in
,, suis Bullis credentialibus ad vos reverendis-
,, simum Patriarcham & ad vos serenissimos
,, Imperatores, & ad præfatos vestros, ut
,, etiam testantur hoc literæ credentiæ reve-
,, rendissimi Domini Legati ad eosdem, ideo
,, Dominus noster merito bonus ut Pastor re-
,, quirit, invitat vos justum ad promissum ser-
,, vandum in sancta sede Apostolica: *Divina vo-*

,, ce

„ *ce Græca ait Ecclesia: conscientiæ nostræ convenit semper dare operam ne oves errantes culpa nostra pereant de Ecclesia: & si præter intentum nostrum Dominus Theodorus, & dictus Nicolaus oratores nostri promiserunt hæc supradicta modo prædicto ostendetur evidenter Sanctitati Domini nostri eos false exposuisse voluntates nostras, ne dubium remaneat aliqua in parte præfatorum. Veritas quidem non quærit angulos sed prædicat in plateis, in publicum dicit quod narrat omni alechia iidem phobiæ, &c.*

„ Quarta conclusio creatione Legati firmitatem habet propter quæ præmissa tam mirifica Sanctissimus Dominus noster Papa illico Florentiæ creavit dictum Legatum ex latere & publicavit Reverendissimum in Christo Patrem Dominum Cardinalem sancti Angeli, qui Dominus Cardinalis & Legatus propter nonnullas Ecclesiæ necessitates & suas pervenit ad Hispaniam de conscientia ejusdem Domini Nicolai Eudemon Joannis, oratorum vestrorum, eo quod tunc non erat tempus idoneum navigandi ad Græciam, nec erant præordinata quæ de necessitate videbantur ordinanda Constantinopoli pro Concilio fiendo, sine enim Concilio visum fuit Græcorum & Latinorum præfatam unionem sequi non posse: & ipsis satis erat ad hæc faciendum, fuit autem prædictus Dominus Cardinalis in Hispania gravissima infirmitate detentus à

„qua nondum liberatus in maris periculo se „posuit contra etiam salubre Consilium me-„dicorum, ut ad implendum opus sui officii „veniret, & ut non faceret voluntatem suam, „sed voluntatem ejus Patris Domini Papæ „qui misit eum.

„Quinta conclusio attenditur penes impe-„dimenta ex quibus Legatus, & Dominus „Cardinalis non ivit ad Græciam: cum enim „versus eandem se parasset ad iter, literæ „supervenerunt Episcopi Theodori, nec-„non & aliorum multorum deportatæ per „fratrem Macharium & alios nonnullos, in „quibus expresse continebantur ex senten-„tia, quod congregatio pro Concilio fien-„do Prælatorum Græcorum isto tempore „fieri non posset, propter inhumanissimam „Turcorum guerram, & transitum eo-„rumdem ad partes Græciæ, ac etiam in „eisdem literis renunciatum est Constanti-„nopoli esse nullum vestigium præparatio-„nis Concilii. Incassum ergo supervenisset „Legatus ad impetratam imo perturbatam „atque inconsideratam omnibus suis in parti-„bus... * prudentia enim si aut adjecto ulti-„mo vult præceptum, judicium medio, & „primo Concilium: quorum prudentiæ „activum primus non est, secundus abest, „tertius subest: venire ergo non debebat „Dominus Legatus.

„Sex-

* *Locus obscurus.*

„ Sexta conclusio vigorem habet in destinatione Nuncii Apostolici: quare nec longum iter diuturna mora Legati esset sine fructu, si Dominus noster Papa habito maturo & digesto Concilio deliberavit præmittere me Nuncium suum Apostolicum ut præordinarem congregationem Prælatorum Græcorum, quæ repræsentat totam ipsorum Ecclesiam ne in primum inconveniens incidamus quando Oratores Imperatoris Constantinopolis in Concilio Lugdunensi se Romanæ Ecclesiæ univerunt, & Credo in Deum, prout eadem Ecclesia, publice decantarunt, nec tamen illi reductioni, ut patet, Græcia stare voluit, asserens ut fertur sine communi Concilio id actum esse. Expedit quidem hoc ad tollendum vetustissimum malum. Hoc sciam quatenus quo possum clarissime informare Dominum nostrum Papam & Legatum scilicet quo tempore fieri debet istud Concilium, quo loco & ex quibus Græcorum Prælatis: ad quem finem Concilium fateor intendit. Quia cujus finis bonus, ipsum quoque bonum est, & cujus finis malus, ipsum quoque malum est. Si est disputatio plurimum gaudemus, si de fide disputatio, procul à nobis: si ad conferendum per Doctores Græcos pariter & Latinos summam complacentiam ad *calauvite agathon*.

„ Septima conclusio roboratur in certitudi-
„ ne promissi : unde quæro si vos Reveren-
„ dissime Patriarcha & Serenissimi Impera-
„ tores intenditis realiter operari, quod unio
„ fiat sub fide quam Sacrosancta Romana Ec-
„ clesia tenet & servat, & obedientiam ad
„ eandem Romanam Ecclesiam, esto etiam
„ quod alii Græci congregati in Concilio, quia
„ non sint sub Dominio vestro temporali, non
„ vellent accedere ? Istud idem Dominus
„ Episcopus Theodorus, & Dominus Ni-
„ colaus Eudemon Joannes obtulerunt Flo-
„ rentiæ pro parte Reverendissimi Patriar-
„ chæ, & Serenissimi Imperatoris Manue-
„ lis Sanctissimo Domino nostro Papæ, &
„ Legato non quæstum ad intentionem pro-
„ missionis Imperatoris & Patriarchæ, sed
„ quæstum ad verba promissio indiget ut fer-
„ tur examinatione.

„ Octava conclusio existit in oblatione Do-
„ mini Legati, promittit enim certissime Illu-
„ strissimus Dominus Cardinalis Sancti Ange-
„ li & Legatus ex latere in partibus Græciæ,
„ ubi promissi recto animo & dicto instituto
„ veniatis ad sæpe dictam sanctissimam unio-
„ nem promptum adjutorium Regis Arrago-
„ niæ, Regis Castellæ, gloriosissimorum pro
„ fidei triumpho, necnon & aliorum Princi-
„ pum, quamvis coacta Deo non placeant:
„ hilarem enim datorem diligit *Theos*.

„ Nona conclusio terminatur in finali &
sancto

„ ſancto promiſſo ſanctiſſimi Domini noſtri „ Papæ: Ego Nuncius Apoſtolicus Magi- „ ſter Antonius Maſſanus ordinis Minorum, „ palam coram omnibus promitto de man- „ dato Domini noſtri Martini Papæ V. quod „ ſi prædicta unio per reverendiſſimum D. „ Patriarcham & Imperialem Majeſtatem „ una cum modis ſupradictis fiat, quod ſan- „ ctiſſimus Dominus noſter Papa præſto mit- „ tet legatum abſque mora retardationis cum „ Prælatis & Magiſtris ad hoc ſpecialiter or- „ dinatis, ubi primo, ſicut præmiſi in ſexta „ concluſione, ſciam tempus hujus ſacra- „ tiſſimi Concilii & locum ejuſdem congre- „ gationis Prælatorum Græcorum ſufficien- „ tem & ideoneum, & quem finem inten- „ ditis eſſe nobiſcum in Concilio & quomodo.

Diligentia pro reſponſione à Græcis habenda & cauſa dilationis.

„ POſt autem has novem concluſiones, ita „ ut ſcriptæ ſunt, diligenter expoſitas, „ idem Reverendiſſimus Pater Dominus „ Nuncius Apoſtolicus, Magiſter Anto- „ nius Maſſanus ad diem XXIV. ejuſdem men- „ ſis Octobris eumdem Reverendiſſimum in „ Chriſto Patrem Dominum Patriarcham ſe- „ cundo convenit & allocutus eſt ſuper Con- „ cluſionibus ſuperſcriptis. Item & die XXVI. „ ejuſdem menſis præfatus Dominus Nun- „ cius Apoſtolicus ſupra nominatos Fratres Gu-

„Gulielmum confessorem, & Joannem so-„cium suum ad eundem serenissimum Do-„minum Imperatorem Dominum Joannem „misit ut suæ Majestati placeret responsio-„nem sibi dare ad ea quæ nomine beatissimi „summi Pontificis suæ Serenitati retulerat, „die vero xxx. ejusdem quoque mensis „Octob. iterum Dominus Imperator apud „eundem Reverendum Dominum Patriar-„cham fuit ad tractandum & colloquendum „de modo celebrandi Concilii. Calendis au-„tem Novembris idem serenissimus Domi-„nus Imperator Joannes misit ad ipsum do-„minum Oratorem quendam ex nobilibus „suis Catacismom ad dicendum ne mirare-„tur, si tam cito minus responsum dabat, „quoniam multis & maximis negotiis belli-„cis inpræsentiarum esset implicitus. Dein-„de quoque ad diem III. Novembris Do-„minus Nuncius Apostolicus misit ad quen-„dam Majestatis Imperialis Calogerum & ad „Closeps, ut vellent Illustrissimum Domi-„num Imperatorem ac Reverendissimum „Dominum Patriarcham ad hanc unionem „sacratissimam excitare. Ad diem vero XIV. „Novemb. præfatus Dominus Nuncius „Apostolicus responsionem habuit ad omnes „supradictas Conclusiones, tam à reverendis-„simo Domino Patriarcha, quam ab illu-„strissimo D. Imperatore supradicto, quo-„niam cum firma ac solida in se esse asserat,
„idem

„idem Dominus Nuncius Apoſtolicus hic „annotari ſeu adſcribi voluit. Scriptum & „publicatum Conſtantinopoli, quemadmo„dum retulerunt & ſuis ſic miſſis teſtationi„bus approbaverunt Venerabilis Frater Gui„lielmus Confeſſor ſupradictus, Frater Pe„trus Capinus Cuſtos Conſtantinopolita„nus, Frater Ludovicus de Taraſio, Frater „Damianus de Venetiis, Dominus Joannes „Ariſpa, & Frater Laurentius de Franciſcis, „teſtes ad hæc omnia & ſingula ſupraſcripta „vocati & rogati.

„Et ego Franciſcus Philelphus Civis Ve„netus publica & Imperiali auctoritate No„tarius, & noſtris in Venetorum Curia, & „Conſtantinopolitana Cancellarius ex rela„tione & atteſtatione præfatorum teſtium „ſupraſcripta omnia & ſingula ſcripſi, com„plevi & publicavi.

„Auſcultatum & collationatum cum „Originali per me Aimonem Gerbaſii Epi„ſcopum Maurianenſem literarum Apoſtoli„carum de Curia & aliarum in Camera Apo„ſtolica regiſtrari ſolitarum regiſtratorem „die XXVIII. Julii, Anno MCCCCXXIII. de „Epiſcopi prædicti manu propria.

Copia literarum reſponſionis Imperatoris Græcorum ad Papam Martinum V.

„SAnctiſſimo in Chriſto Patri & Domino „Domino Martino Sacroſancto Romanæ

„Dei

„Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ
„Summo Pontifici digniſſimo, Joannes in
„Chriſto Deo fidelis Imperator & Modera-
„tor Romeorum Paleologus ſemper Augu-
„ſtus, reverentiam debitam & devotam.
„Reverendus vir Ambaſiator veſter Anto-
„nius Presbyter, Monachus, Theologiæ
„Magiſter venit ad nos in gratia Sanctitatis
„Veſtræ ferens ac accipi. . . . . Cognovi-
„mus & ab ipſis, & à veſtro Ambaſiatore quæ-
„cumque nobis ipſe dixit. Ad primos ejus
„Sermones, qui fere in ſumma fuerunt quod
„ex parte mea dixit Nicolaus Eudemom, &
„Reverendus Epiſcopus Olenis Theodorus,
„quod volumus unionem ſimpliciter cum
„Romana Eccleſia: ſed quoniam reſpondi-
„mus ipſi Ambaſiatori ad verbum, à quo San-
„ctitas veſtra de omnibus agnoſcet, affirma-
„mus etiam per noſtras literas expreſſe, quod
„non ſolum aliquid tale commiſimus, ſed ne-
„que omnino unquam ipſum in mente dice-
„re habuimus: ſed quod ſcripſimus in literis
„noſtris iſtud & non aliud noſtri Ambaſiato-
„res impoſitum habuerunt implere & enu-
„cleare propriis ſermonibus, videlicet fieri
„Concilium univerſale ſecundum ordinem
„& conſuetudinem ſanctorum ſeptem uni-
„verſalium Conciliorum, & quod conceſſe-
„rit Spiritus ſanctus ad pacem iſtud firmare
„& tenere. Circa ſermones autem ipſius Ma-
„giſtri Antonii Ambaſiatoris, poſt hoc quod
„quæ-

„quæſivit agnoſcere locum & modum & „tempus Concilii, Reſpondemus de loco „quidem Conſtantinopolim, cum Imperium „noſtrum in præſenti neque aptiorem alium „locum habeat, neque poſſemus ire alio prop- „ter neceſſitatem. Verum in qua magis nunc „ſumus quam aliquando, & etiam propter „neceſſitatem expenſarum quibus ipſum ne- „gotium indiget. De modo, non neceſſita- „tem ducimus eſſe omnes Sanctiſſimos Pa- „triarchas, & omnes Epiſcopos Provincia- „rum noſtrarum intereſſe, Concilii autem „hujuſmodi expenſas, omni præterito tem- „pore faciebat Imperium, nunc autem ſimi- „liter eſſet opus: Imperium vero nunc non „poteſt ullo modo, nec facultatem habet ad „id faciendum. Qua de cauſa Sanctitatem ve- „ſtram rogamus, ut circa hanc rem provi- „deatur ſufficienter. De tempore autem „optamus & deſideramus ut taliter eſſent res „quo hodie, hoc divinum opus unionis & no- „bis placitum principium accipiet: Sed cum „ſint circa nos res tales quales vidit ſuis oculis „Antonius, qui quaſi penitus deſtructis no- „bis omnibus ſunt ſub periculo gladii, & hæc „civitas & omnia noſtra: & non eſt poſſibile „congregare Epiſcopos ab Aſia neque ab Eu- „ropa propter guerras infidelium. Dici- „mus quod Deo dante pacem & firmita- „tem rebus, ſtatim ſcribemus vobis, & „apportatis noſtris literis ad vos, & ex vobis „Am-

„ Ambasiatoribus vestris sumentibus cum
„ exitu & expensis circa Concilium faciendis
„ ab illa die incipiente eo usque ad finitum an-
„ num ut Concilium fiat. Verum hoc magnum desiderium & singularem amorem,
„ quem habemus ad tale Divinum opus unio-
„ nis dicimus, & hoc quod etiam existente
„ guerra infidelium, si Sanctitas Vestra fece-
„ rit talem pro securitate nostrorum necessa-
„ riorum locorum, & feceritis excommu-
„ nicationem terribilem & insolubilem con-
„ tra quoscumque Vestros homines, ut non
„ relinquant nos solos in guerra infidelium,
„ & ipsi in pace sint cum ipsis, sed auxilien-
„ tur nobis contra infideles, ita quod ipsi in-
„ fideles non habeant facultatem inferre con-
„ tra nos armatos nave ipsorum. Et hoc par-
„ cet nobis Reverendissimus Cardinalis ha-
„ bens ex nobis generalem auctoritatem &
„ vim super istis: placet nobis incipere unio-
„ nis opus ab ipsa die qua huc advenerit præ-
„ dictus Reverendissimus Cardinalis, & tunc
„ conveniente Sacro Concilio secundum an-
„ tiquum Sanctorum universalium septem
„ præteritorum Ordinem & consuetudinem:
„ veritate sine contentione quæsita, quic-
„ quid revelatum fuerit inspirante Spiritu
„ sancto in hoc sancto Concilio utrique parti
„ placitum sit, & subsequatur omnis terminus
„ Mundi: itaque fiat universalis unio & infran-
„ gibilis & firma Ecclesiarum. Datum in urbe
„ no-

„ nostra Constantinopolitana M CCCC XXII.
„ die Sabbati XIV. mensis Novembris sub no-
„ stra Imperialis sigilli impressione, & nostra
„ solita rubea subscriptione.

Obiter notabit Lector unionem Ecclesiæ Orientalis cum Latina inchoatam sub Martino V. & à Patribus Synodi Basileensis magna cura & diligentia procuratam: atque Eugenium IV. Martini Successorum anno M CCCC XXXVII. Inde captasse occasionem opportunam dissolvendi Concilii Basileensis, ut suo loco amplius dicetur.

II. Cæterum Platina & post Platinam Ciaconius in vita Martini, ut Synodi Senensis dissolutionem factam à Martino excusent: memorant Alphonsum Arragoniæ Regem ideo infensum fuisse Martino, quod Titulum Regni Siciliæ, quem Alphonsus ambiebat, Alovisio Regis Ludovici filio detulisset: & eam ob causam Alphonsum ambitu atque largitionibus Patres Senenses corrumpere voluisse, ut causæ Petri de Luna, qui adhuc superstes erat, opitularentur: Idque Martinum impulisse ut Legatis suis mandaret, quatenus Synodum Senensem dissolverent atque aliud in septennium proximum Basileæ indicerent. Sed Acta illius temporis & inter alia Epistola Juliani Cardinalis Sancti Angeli ad Eugenium Papam, necnon Panormitanus Tractatu pro Basileensi Concilio narrant. In Senensi Concilio Nationes palam

vo-

vociferatas & conquestas de Martino, quod eis & speratæ reformationi hac dissolutione Concilii aperte illuderetur: Idque in causa fuit ut Legati Martini *Protestati sint quod propter ejusmodi Translationem Concilii, Concilium Senense non censeretur dissolutum, sed quod Præsidentes cum inclytis Nationibus ad omnem reformationem possibilem concurrere vellent.* Qua clausula & exceptione innotescit Legatos Martini voluisse colorem adferre dissolutioni Concilii & justas Nationum Querimonias placare: & continuo Platinam prætextum illum quæsivisse quod Alphonsus vellet Patres corrumpere: cum & omnes Nationes desiderio reformandæ Ecclesiæ tum flagrarent: quam in schismate Petri de Luna impossibilem esse apprime norant, utut sit, hæc Synodi Senensis dissolutio & translatio ad normam præscriptam à Patribus Constantiensibus Sessione XXXIX. de consensu Nationum, ex quibus Senense Concilium coaluerat, facta est, ut acta ipsa narrant: quorum hic exordium appingam desumptum ex Actis Basileensis Synodi initio: *In nomine Domini amen: Tenore præsentis publici instrumenti cunctis pateat evidenter & sit notum, quod anno à nativitate ejusdem Domini* MCCCCXXIV. *Indictione* II. *die vero Sabbati* XIX. *mensis Februarii hora tertiarum, &c.*

III. Subjicitur postea Martini V. Bulla pro Concilii Basileensis Indictione data Romæ

mæ Anno M CCCC XXXI. Calendis Februarii: qua Bulla Martinus Legatum atque Præsidem Concilii nominat & cooptat Julianum Cardinalem Sancti Angeli: & cum eodem Anno, X. Calendas Martii Martinus diem supremum exegisset atque Nonis Martii sequentibus Eugenius creatus fuisset Pontifex, hic suis literis Apostolicis datis Romæ II. Calendas Junii M CCCC XXXI. indictionem Basileensis Synodi à Martino factam confirmavit atque eidem Juliano Cardinali Sancti Angeli præsidendi provinciam prorogavit & continuavit.

CAPUT. II.

I. *Concilii Basileensis sanctissimum propositum hæreses exstirpare, Ecclesiam in capite & in membris reformare, veterem disciplinam quoad fieri posset recuperare: & pacem inter Principes Christianos conciliare, &c.*

II. *Ut res controversæ accuratius examinarentur in Synodo Basileensi, totum Concilium dividebatur in quatuor æquales Deputationes aut Classes: In quibus omnia negotia primum tractabantur, examinabantur, & concludebantur: deinde ad Synodum ut Conclusio Synodica fieret referebantur.*

III. *Secunda Sessione Basileensi pro fundamento agendorum Decretum* IV. *&* V. *Sessionis Constantiensis de Concilii auctoritate supra Papam proponitur & confirmatur: Item statuitur ne Pontifex personas Concilio adhærentes alio trahere aut evocare possit, &c.*

IV. *Hæc ratio procedendi Patrum Basileensium Eugenium PP. ita perculit, ut Archiepiscopum Tarentinum & Colossensem Oratores suos miserit Basileam ad inducendum Julianum Cardinalem Sancti Angeli ut Concilium dissolveret prætextu Græcorum excipiendorum.*

V. *Literæ Cardinalis Sancti Angeli ad Eugenium, quibus huic suadet ne Synodum Basileensem dissolvat.*

VI. *Summa suasionum Archiepiscopi Tarentini & Colossensis ad Patres Basileenses pro Concilii dissolutione: & responsio Synodalis Patrum Basileensium ad easdem suasiones.*

VII. *Varii tractatus editi tempore Synodi Basileensis de Auctoritate Concilii supra Papam.*

VIII. *Synodus Eugenium monet, atque obsecrat Sessione* III. *ut Concilium turbare desinat: & secundo inculcat Decretum Synodi Constantiensis de Concilii Auctoritate supra Papam: atque Synodum invitis Patribus nullo modo dissolvi posse statuit.*

IX. *Octava Sessione decernitur unicam duntaxat esse Catholicam Ecclesiam: unitatem vero non admittere divisionem, & continuo unum esse solummodo generale Concilium Ecclesiam Catholicam repræsentans: nimirum Basileense à Martino* V. *& Eugenio* IV. *legitime indictum, &c.*

X. *Undecima Sessione explicatur Decretum Constantiense de singulis decenniis frequentando Concilio generali: statuiturque Concilium à nullo dissolvi posse, nisi de expresso consensu duarum partium cujuslibet Deputationis aut Classis Concilii.*

XI. *Duodecima Sessione præscribitur Eugenio spatium sexaginta dierum intra quod adhæreat Concilio, & dissolutionem à se tentatam revocet: Item sacræ electiones restituuntur.*

XII. *Sigismundi Imperatoris studium pro Concilii Basileensis defensione, illiusque literæ ad Eugenium super ea re.*

XIII. *Patres præsente & assidente Sigismundo, nonaginta dierum intervallum conscribunt Eugenio, intra quod possit Concilio adhærere: In eumque finem concipiunt & scribunt tres formulas adhæsionis, ut quam velit eligat Eugenius: estque certa praxis Auctoritatis Concilii supra Papam.*

XIV. *Sessione* XV. *statuitur bis aut semel in anno Synodos provinciales cogendas.*

I. ANno MCCCCXXXI. Synodus Basileensis inchoatur, ad quam magna pars illorum qui Constantiensi Synodo desiderio Ecclesiæ reformandæ interfuerant confluxit, atque inter alios Julianus Cardinalis Sancti An-

Angeli Præſes à Martino & Eugenio delectus; necnon etiam Ludovicus Cardinalis Arelatenſis. Primam Seſſionem Patres auſpicantur die veneris VII. Decembris anni memorati: atque in primis Seſſionem XXXIX. Conſtantienſis de Conciliis generalibus frequentandis præſcribunt velut cauſam celebrationis Synodi: deinde hæc ſex capita concipiunt ad quæ tota in hac Synodo tanquam ad ſcopum collimarent: *Primum ut hæreſes exſtirparentur: ſecundo ut omnes Populi Chriſtiani ad Eccleſiam Catholicam unirentur: tertio quæ eſſent Chriſtianæ & Catholicæ veritatis edocerentur: quarto bella inter Principes Chriſtianos exorta ſedarentur: quinto Eccleſia in capite & in membris reformaretur: ſexto vetus diſciplina quoad ejus fieri poſſet recuperaretur.* Qui Conatus ſanctiſſimi Patrum Baſileenſium, ſi effectum ſortiti fuiſſent, hodie Eccleſia Catholica ſchiſmatibus diſciſſa & lacerata non eſſet. Tum temporis regni Gallicani negotia depulſis Anglis melius habebant: Idque in cauſa fuit ut noſtrates Prælati incredibili deſiderio Eccleſiæ in capite & in membris reformandæ illuc frequentes convolarint.

II. Cæterum, ut poſteritas intelligat quantum operæ ac diligentiæ Patres Baſileenſes in rebus controverſis enucleandis collocarint: ſcire opus eſt, illos voluiſſe cunctos Prælatos qui ad Baſileenſe Concilium veniebant in quatuor æquales Claſſes, ipſi Deputatio-

tiones nominant ita distribui: ut unaquæque Classis vel Deputatio mixtim Prælatos haberet de quacumque natione, statu, atque ordine: puta Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Curatos, Doctores tum seculares tum regulares in Theologia & Jure Canonico de quacumque essent natione aut provincia. Quocirca ut ejusmodi Classes numero & qualitate personarum pares existerent; singulis mensibus quadrumviri eligebantur, scilicet unus de qualibet Classe, qui personas de novo ad Concilium venientes æqualiter distribuerent per Classes: sicut verbi caussa videmus in Parlamento consiliarios de novo admissos æqualiter per decurias distribui. Verum singulæ Classes sibi unum Præsidem cum Promotore aut Syndico, Notario & Cursore cooptabant: tribusque diebus singulis septimanis horis matutinis, nimirum die Lunæ, Mercurii, & Veneris, regulariter tantum & ordinarie congregabantur: poterantque singulæ Deputationes mutuo inter sese atque etiam seorsim cum singulis personis Classium & Concilii conferre de rebus quæ in controversiam cadebant. Quibus autem animus erat aliquid in sua Classe proponere evolvendum, antea Præsidem atque Promotorem Classis adire & eis narrare debebat quæ animio proponenda agitaret, ut Præses & Promotor Classem ejus rei

cer-

certiorem efficerent: & si res ardua & difficilis esset, multoties ad incudem examinis revocabatur: Eratque in more positum, ubi una Classium concors esset de re aliqua proposita atque discussa, ut quempiam magis idoneum ejusdem Classis deligeret qui Conclusionem factam in hac Classe ad tres alias Classes deferret cum omnibus rationum momentis quibus illa conclusio muniebatur: quo reliquæ tres Classes suam etiam de illa re sententiam dicerent. Quod si contingeret aliquam Classium in examinandis rebus controversis in duas forte opiniones dividi, quamquam altera partium magno numero alteram superaret: nihilominus de qualibet partium unus magis idoneus ad tres alias Classes mittebatur quo sententiam suam proponeret, & quibuscumque vellet argumentis fulciret. Quod si aliqua ejusmodi Classium vel etiam generalis Congregatio Synodi in tres scinderetur opiniones, cuique liberum erat quamcumque illarum amplecti, modo inter deliberandum ea quæ jam ab aliis dicta fuerant minime iteraret: nisi forsan aliquid rebus jam propositis addere, immutare aut imminuere vellet. Quod si tres Classes inter sese concordarent, & quarta discors esset: hæc nihilominus cum personis singulis ejusdem Classis benigne & sedulo ab aliis Classibus audiebantur: & si articulus de quo agebatur aliquid præ se ferret difficultatis,
 statim

statim ad tres alias Classes iterum examinandus deferebatur: si vero comperiretur non tolerabilem habere dubitationem in qua tempus conteri deberet, tandem conclusio juxta sententiam trium Classium condebatur. Item, quotiescumque aliquis privatus & singularis referebat se ex tempore de re proposita sententiam ducere non posse, sed velle aut libros suos, aut aliquas personas consulere: ei dies ad sese informandum concedebatur & benigne ac liberrime audiebatur. Denique quolibet mense ex singulis Classibus Triumviri delectu habebantur, sicque duodeni erant, qui singulis hebdomadibus, illis diebus quibus Classes non congregabantur, conveniebant inter se de rebus statutis in Classibus, ut de hinc eas ad Præsidem Synodi referrent: qui Congregationem generalem indicebat ut Synodalis Conclusio fieret in publica Sessione. Quæ generalis Congregatio Concilii, ex omnibus Classibus in capitulum Cathedralis Ecclesiæ Basileensis confluentibus, coalescebat: ibique liberum unicuique erat iterum dicere & proponere quæcumque vellet, eodem prorsus modo quo actitatum fuerat in Classibus: hocque peracto, Patres Sessionem publicam in Cathedrali Ecclesia celebrabant: atque conclusio in Acta referebatur & conscribebatur. Neque vero Præsidi Concilii licitum erat aliquid ardui proponere & referre ad Synodum, nisi prius

prius examinantum fuisset in Classibus, eo modo quem exposuimus. Proculdubio ego anteactis seculis tantam diligentiam & libertatem in examinandis Controversiis adhibitam non fuisse arbitror quantam in hac Synodo: quæ agendi ratio similiter observata est in Constantiensi Concilio: hoc solum excepto, quod Patres Constantienses per certas Nationes distribuerentur: & Cardinales seorsim atque separatim à Nationibus suum habebant Collegium, in quo de rebus propositis consilia inibant: hic autem ipsi Cardinales per singulas Classes proportionatim dividebantur sicut & alii Prælati: adeo ut singulæ Classes & qualitate & numero personarum, quoad ejus fieri poterat, æquales essent. Cæterum Patres Basileenses ideo Cardinales cum aliis distribuisse verisimile est, propterea quod in Synodo Constantiensi, ubi separatim ab aliis sua comitia habebant, sibi & Curiæ Romanæ privatim consulebant, *ut docent Acta & Apostoli Ecclesiæ Gallicanæ pro Conclusione Nationaliter facta de Annatis non solvendis.* Porro formam hujusmodi quatuor Deputationum aut Classium Synodi Basileensi habes inter Acta ad calcem Synodi Basileensis: estque maxime digna quæ posteris innotescat: contra illorum iniquitatem & ignorantiam qui hoc sanctissimum Concilium tanquam minus legitimum respuunt. Valdeque est dolendum

dum quod Patres diversas diversorum Prælatorum sententias non voluerint sigillatim referri in Acta, ut mos fuit Patrum Ecclesiæ primitivæ: hoc enim magnam adfert lucem posteris, estque invictissimum monimentum diligentiæ & libertatis servatæ in Conciliis, ut alias docuimus.

III. Anno MCCCCXXXII. Calendis Martii Patres II. Sessionem celebrant, & pro basi ac fundamento omnium rerum agendarum IV. & V. Sessionem Synodi Constantiensis de immediata Ecclesiæ & Concilii auctoritate supra Papam, tanquam certissimam atque indubitatam præfigunt & auctorant: quippe qui viderent hoc esse pernecessarium ad instaurandam Ecclesiæ reformationem in capite & in membris quam animo conceperant: Juxta octodecim articulos in Sessione XL. Constantiensis Concilii expressos. Sed præstat integrum adscribere decretum: Primum enim statuunt *quod sacra Basileensis Synodus sacris Constantiensi & Senensi Conciliis generalibus decernentibus atque ordinantibus & auctoritate Apostolica interveniente fuit & est Basileæ debite, legitime, ac rite initiata & congregata: Et ne de ejusdem sacræ Basileensis Synodi potestate à quoquam dubitetur, ipsa eadem Synodus duas declarationes ex decretis Synodi Constantiensis in præsenti Sessione aliis suis decretis editis seu edendis inserendas ordinat, & decernit: quarum qui-*

quidem declarationum tenor ſequitur & eſt talis. Et primo delcarat quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto legitime congregata generale Concilium faciens & Eccleſiam militantem repreſentans, poteſtatem immediatie à Chriſto habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis, exiſtat, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad fidem & exſtirpationem dicti ſchiſmatis, & ad generalem reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris. Alterius vero tenor ſequitur in hæc verba. *Idem declarat quod quicumque cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis, exiſtat, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus aut præceptis hujus ſacræ Synodi & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati ſuper præmiſſis ſeu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter comtempſerit, niſi reſipuerit condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia ſi opus fuerit recurrendo. Præmiſſis igitur & nonnullis aliis Conſtantienſis Concilii (præſertim capituli quod incipit :* Frequens generalium Conciliorum celebratio agri Dominici, *in priori hujus ſacræ Synodi Baſileenſis Seſſione recitati) decretis attentis, prælibata Synodus Baſileenſis decernit & declarat quod ipſa pro hæreſeum exſtirpatione ac morum generali reformatione Eccleſiæ in capite & in membris, necnon pace inter Principes Chriſtianos procuranda ut præmittitur in Spiritu ſancto legitime congregata, per nullum*

lum quavis auctoritate, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, dissolvi aut ad alium locum transferri, vel ad aliud tempus prorogari debuit, aut potuit, debet aut potest, aut poterit in futurum, absque ejusdem Synodi Basileensis deliberatione & consensu. Item definit ordinat & decernit, quod nulla persona cujuscumque status, dignitatis seu conditionis fuerit in eadem Synodo actu existens aut futura eidem incorporata vel incorporanda à tempore arrepti itineris ad ipsam sanctam Synodum sine fraude continuati, ad recedendum ab eadem à quoquam quavis auctoritate, etiamsi Papali dignitate præfulgeat, directe vel indirecte in læsionem seu perturbationem dictæ sanctæ Synodi invita, sine deliberatione & consensu ipsius sanctæ Synodi requiri, moneri, compelli, citari, evocari ad alium locum etiam Curiam Romanam valeat, seu ne ad eandem sanctam Synodum veniat, possit aut debeat quomodolibet impediri. Si autem à quoquam quavis auctoritate etiamsi Papali dignitate præfulgeat ut præmittitur, in contrarium attentatum fuerit, seu attentaretur in futurum, aut processus pœnales vel mandata, etiam Censuras Ecclesiasticas, seu translationes Prælatorum invitorum vel privationes aut inhabilitationes eorumdem seu aliorum beneficiatorum quorumcumque, aliasve quascumque pœnas continentes, ut ab eadem sancta Synodo recedant, vel non accedant ad eandem aut eidem non adhæreant, fulminati fuerint aut fulminarentur in futurum: totum sit irri-

irritum & inane, nec eisdem processibus, censuris ac pœnis tanquam irritis & inanibus quomodolibet obediendum fore: prædictosque processus & censuras cum omnibus inde sequutis & sequuturis quatenus de facto processissent aut procederent in futurum cassat, irritat, & annullat, & pro cassis, irritis atque nullis habendos decernit, definit, ordinat & declarat.

IV. Verum ut hujus Historiæ contextus explicatior decurrat, observandum est Eugenium PP. ubi accepit cunctas Nationes Ecclesiæ emendandæ desiderio flagrantes magna frequentia Basileam appellere: atque in paucos menses maximum justumque numerum eo convenisse: ut huic ardori remoram injiceret, misisse Basileam Oratores Archiepiscopum Tarentinum & Colossensem Episcopum, quatenus Juliano Cardinali sancti Angeli præsidi Concilii persuaderent, ut prætextu Græcorum commodius excipiendorum, evulgaret Synodum Basileensem esse dissolvendam & usque ad annum cum dimidio transportandam Bononiam: eo quod Eugenius se illuc conferre & Synodo præsidere vellet, quo ratio Ecclesiæ reformandæ melius haberet, & Græci commodius exciperentur. Quibus perspectis, Patres Basileenses hac 11. Sessione ante omnia securitati & stabilitati Synodi consulere annituntur: primum, communi & concordi consensu omnium Nationum re-

no-

novando & auctorando decreta IV. & V. Sessionis Constantiensis de auctoritate Concilii supra Papam: secundo, cavendo ne Papa possit ullo modo Synodum aut personas Synodo adhærentes alio traducere, censuris afficere, &c. & si id attentarit, hoc nullum atque irritum esse, *tanquam de facto non de jure procedens*. Quæ verba nobis aliud monimentum auctoritatis Concilii supra Papam ostendunt: estque animadversione dignum decreta IV. & V. Sessionis Constantiensis jam propria & peculiaria effici Concilio Basileensi & continuo illorum evasiones obstrui, qui asseverant ejusmodi Decreta fuisse duntaxat ab obedientia Joannis XXIII. comprobata, & solummodo vigere tempore schismatis, quando non est certus atque indubitatus Papa. Hic autem schismatibus Antipaparum jampridem extinctis sub Eugenio IV. indubitato Pontifice, omnes Christianæ Nationes sciscunt, Papam directivo & coactivo judicio Ecclesiæ & Concilii subjici, &c. Verum quia Epistola Juliani Cardinalis sancti Angeli ad Eugenium mirum in modum facit ad Historiæ Ecclesiasticæ & Basileensis Concilii notitiam, eam huc ingeram.

Beatissime Pater, post devota pedum oscula beatorum.

V. „MUlta me cogunt libere & intre„pide loqui ad Sanctitatem Ve„stram, periculum videlicet eversionis fi„dei

„dei ac ſtatus Eccleſiaſtici, & ſubſtractio-
„nis obedientiæ à Sede Apoſtolica in his
„partibus: demigratio quoque famæ ejuſ-
„dem Sanctitatis. Cogit & me charitas qua
„Veſtræ Sanctitati afficior & eam mihi affi-
„ci ſcio: propterea magna cum fiducia lo-
„quar juxta B. Ambroſium ad Theodoſium
„Imperatorem: Nemo, inquit, majori
„fiducia utitur quam qui ex affectu diligit:
„Nec parcam ſi opus ſit verbis aſperis: quia,
„ut inquit B. Bernardus, vera amicitia non-
„nunquam objurgationem habet, adulatio-
„nem vero nunquam. Ita enim opus eſt, ut
„intellecto diſcrimine cautius rebus agendis
„poſtea conſulatur. Quod ſi ſecus facerem
„ſacrilegii & infidelitatis apud Deum & ho-
„mines reus viderer. Prius tamen quam ad
„Ambaſiatam reverendi Patris Domini Ta-
„rentini accedam, obſecro patienter ferat Ve-
„ſtra Sanctitas commemorari ſibi quædam
„præteriti temporis, ſi forte oblita ſit, ne nimis
„voluntarie huc forte veniſſe credar. Puto to-
„ta Romana Curia novit quam moleſta mihi
„fuerit Legatio iſta Concilii: nemo eo tem-
„pore me viſitavit cum quo maxime non que-
„rerer, ſed præſertim cum Veſtra Sancti-
„tate tunc in minoribus, & cum reverendiſ-
„ſimo Domino noſtro Bononienſi, qui mihi
„paterna charitate uterque compatiebami-
„ni hanc provinciam mihi eſſe decretam. Ad
„legationem Bohemiæ quantum voluntarie
„ibam

„ibam, tantum ad istam invitus, propter
„multa quæ tunc verebar posse accidere, quæ
„jam experiri incipio, licet veritus non fuis-
„sem, si à Vestra Sanctitate hoc onus mihi
„injunctum non fuisset. Veni Nurember-
„gam, nunciatum est decessisse felicis recor-
„dationis dominum Martinum. Et quia non-
„dum venerat Bulla facultatis præsidentiæ,
„putabam me hoc gravi jugo exoneratum.
„Sed Deus non est passus propter peccata
„mea carere me perturbationibus. Superve-
„nit dominus Cuntzo & eam mihi præsenta-
„vit: Cujus copia ad multorum manus etiam
„extra Curiam ante pervenerat. Cum illam
„vidi supra modum tristatus sum, & licet à
„nonnullis importune requirerer ut venirem
„huc, volui nihilominus in tanto negotio
„prius scire Sanctitatis Vestræ intentionem,
„præsertim cum noviter creata esset. Bis aut
„ter & per Nuncios proprios intimavi S. V.
„multis precibus supplicans ut transferretur
„calix iste: & quia multo utiliorem me re-
„putabam ad expeditionem Bohemiæ quam
„ad Concilium, obsecrabam instantissime
„ut alius deputaretur ad præsidendum hic: &
„recolo me scripsisse ita vehementer super
„hoc, ut aliquando timuerim offendere S V.
„quasi id onus recusarem post vestram pro-
„motionem, quod sub alio Pontifice assum-
„pseram.

„Postquam peragravi Alemaniam prædi-
„can-

„cando crucem contra Bohemos revertendo
„Nurembergam inveni Dominum Leonar-
„dum de Piſcia cum inſtructione ut venirem
„ad Concilium, ſi poterat fieri, ſine detri-
„mento expeditionis Bohemiæ: idem nun-
„ciabant literæ Domini Epiſcopi Cervienſis
„ex parte Sanctitatis Veſtræ, licet etiam &
„tunc inſtanter requirerer à multis venire ad
„Concilium, reputans me utilius facere ſi in
„Bohemiam cum exercitu introirem: præ-
„ſertim cum paucos ad Baſileam veniſſe audi-
„rem; decrevi accingere me ad exercitum.
„Et ne quiſquam poſſet obloqui de S.V. quod
„Concilium Baſileenſe decretum per præce-
„dentia Concilia & præceſſorem veſtrum
„vellet negligere; conſiderans etiam hanc
„eſſe voluntatem S. Veſtræ, quod Conci-
„lium non omitteretur, deputavi hic loco
„mei Dominum Joannem Polimbar Audito-
„rem & Magiſtrum Joannem de Raguſio:
„aſſerens omnibus quod expedito negotio
„Bohemiæ perſonaliter accederem Baſileam
„juxta mandatum Sanctitatis veſtræ: quæ
„poſtea per literas Cervienſis hoc factum ap-
„probavit, & laudavit. Succeſſerunt poſtea
„res in Bohemia ſicut Deo placuit, & cum
„ex fuga exercitus omnes populi Alemaniæ
„ſupra modum eſſent exterriti & conſternati;
„videns nullum aliud ſupereſſe remedium
„animabam & confortabam omnes ut mane-
„rent conſtantes in fide & nihil trepidarent:
„quo-

„quoniam ego propter hoc accedebam ad
„Concilium, ubi convenire debebat univer-
„salis Ecclesia, in quo omnino aliquod suffi-
„ciens remedium ad resistendum hæreticis &
„ipsos extirpandos reperiretur. Ita etiam dixi
„in Nuremberga in præsentia Domini Im-
„peratoris & plurimorum Baronum & Nobi-
„lium Alemaniæ. Sic etiam exhortatus sum
„Ambasiatores Pilzerenensium & Egrensi-
„um fidelium de Bohemia, dando eis spem
„subsidii ratione Concilii. Et certe tantus e-
„rat metus omnium populorum, quod
„necessarium erat ita agere. Propterea ne-
„mo miretur si feci diligentiam ut omnes ad
„Concilium venirent, vel mitterent: ita
„enim opus erat, ut tot tantisque periculis
„posset aliquo modo obviari per inventio-
„nem celerem alicujus subsidii. Et quidem
„fama ista Concilii multos retinuit & reti-
„net finitimos Bohemiæ, ne cum illis con-
„cordarent. Ibidem me interpellarunt nobi-
„les & militares Alemaniæ qui in illo exer-
„citu fuerant, adscribentes culpam fugæ solis
„Principibus; offerentes iterum cum mul-
„to majori exercitu regredi proxima æstate
„in Bohemiam: ubi vel mori vel vincere in-
„tendebant: & neminem Principum vole-
„bant adesse secum: sed ipsi soli eligerent
„Capitaneum quem rerum experientia ma-
„gis idoneum judicarent. Postulabant autem
„ab Ecclesiæ solum communium expensa-
„rum

,, rum quod non puto excederet 30000 duca-
,, torum. Quibus respondi exhortando eos
,, in hoc sancto proposito, & quod volebam
,, super hoc scribere S. Vestræ, à qua omni-
,, no sperabam hoc subsidium impenden-
,, dum: & nihilominus venire ad Conci-
,, lium: ut sive per medium S. Vestræ, sive
,, Concilii hujusmodi subsidium non defice-
,, ret. Cum talia audivi levavi manus ad cœ-
,, lum, gratias agens Deo qui in tantis pericu-
,, lis non deserebat Ecclesiam: Ista enim fa-
,, ma & spes militarium corda hominum jam
,, pene mortua reviviscere faciebat & anima-
,, bat ad resistendum hæreticis. Scripsi S.
,, Vestræ statim per D. Abbatem Perusinum,
,, scripsi deinde plurimas & plurimas literas:
,, Putabam audita tam grandi oblatione mili-
,, tarium, & in confœderatione Christianitatis,
,, quod Sedes Apostolica debuisset vendere
,, Cruces & Calices & statim subvenire: & jam
,, sunt fere quinque menses necdum respon-
,, sum habui: Sed mittitur mihi facultas quod
,, dissolvam Concilium: in quo unica spes in
,, his partibus defensionis fidei & Ecclesiæ con-
,, sistit. Itaque ex prædicta causa incitatus sum
,, huc venire, & si forsitan ex Curia non pro-
,, videretur, de quo jam satis timeo, saltem hic
,, inveniretur subventio. Incitavit etiam me
,, huc venire Dominus Archiepiscopus Colo-
,, niensis, qui in egressu de Bohemia per-
,, suasit nihil posse fieri utilius quam requirere

„ ad hanc expeditionem Dominum ducem
„ Burgundiæ: quem ſciebat ad hoc eſſe bene
„ affectum. Dicebat ipſe Dominus Archie-
„ piſcopus propter hoc imponendum eſſe uni-
„ verſale ſubſidium quod optime exigi vide-
„ batur, ſi in Concilio præſentibus & con-
„ ſentientibus univerſis imponi contingeret.
„ Et veriſimiliter ſperari poterat ſi huc ma-
„ gna multitudo Prælatorum confluxiſſet, at-
„ tentis periculis quæ modo ſunt, nemo con-
„ tradixiſſet; non ſolum in decima, ſed in
„ majori ſubſidio, quod ſine difficultate poſtea
„ fuiſſet exactum: quod non fuit ſic in eo quod
„ impoſuit D. Martinus: quia, excepta Ita-
„ lia, aliæ Nationes nihil volebant ſolvere.
„ Incitavit etiam me huc venire litera miſſa
„ Nurembergam à quodam Barone Bohemo
„ poſt receſſum exercitus, qui dicebat armis
„ regnum illud debellari non poſſe ſed agen-
„ dum concordia & tractatu: Cui reſponſum
„ eſt meo conſilio, quod cum jam in Baſilea
„ celebrandum eſſet Concilium univerſalis
„ Eccleſiæ, Bohemi curarent huc mittere
„ aliquos cum pleno mandato: quia nuſquam
„ melius quam hic ejuſmodi tractatus fieri
„ poſſet: pro quo haberent ſalvum conductum
„ & quicquid eſſet neceſſarium. Incitavit
„ etiam me huc venire deformitas & diſſolu-
„ tio Cleri Alemaniæ: ex qua laici ſupra mo-
„ dum irritantur adverſus ſtatum Eccleſiaſti-
„ cum: propter quod valde timendum eſt niſi
ſe

„ se emendent ne laici more Hussitarum in to-
„ tum Clerum irruant, ut publice dicunt. Et
„ quidem hujusmodi deformatio magnam
„ audaciam præbet Bohemis, multumque co-
„ lorat errores eorum qui præcipue invehunt
„ contra turpitudinem Cleri. *Qua de re etiamsi*
„ *hic non fuisset generale Concilium institutum*,
„ *necessarium fuisset facere unum provinciale*,
„ *ratione legationis per Germaniam pro Clero*
„ *reformando: quia revera timendum est nisi*
„ *iste Clerus se corrigat, quod etiam extincta*
„ *hæresi Bohemiæ suscitarentur aliæ. Attenta*
„ *igitur voluntate Sanctitatis vestræ & præ-*
„ *dictis causis, quis non intelligat me quodam-*
„ *modo coactum huc accessisse. Sed & super-*
„ *venerunt literæ S. V. datæ secundo Kalend.*
„ *Junii, in quibus S. Vestra mihi expresse*
„ *mandat, quod huc veniam utens his verbis:*
„ † VOLUMUS TIBIQUE MANDAMUS,
„ *ut expedito negotio Bohemorum, cujus finis*
„ *expectatur in brevi, tuos gressus dirigas Ba-*
„ *sileam pro Concilio celebrando: Ibique jux-*
„ *ta tibi injuncta & ordinata in Concilio Con-*
„ *stantiensi opportune provideas. Sed forte di-*
„ *cet aliquis, nimiam diligentiam fecisti in*
„ *Concilio, mira res si pro diligentia accusor:*
„ *cum summi Pontifices dicere soleant, dili-*
„ *gentiam tuam in Domino commendamus. Mul-*
„ *to autem mirabilior si illa diligentia arguitur,*
„ *quæ pro exstirpanda tam perniciosa hæresi*

X 2 „ *ex-*

† *Vide Bullam Eugenii initio Synodi Basileensis.*

„*exercetur. Nec volui maledictum illud incur-*
„*rere, de quo in Sacra Scriptura dicitur: ma-*
„*ledictus qui facit opus Dei negligenter: Nec igi-*
„*tur mihi constabat S. Vestram velle me dissimu-*
„*lare in tam sancto opere, vel negligenter agere:*
„*sed æstimare debebam contrarium: cum ipsam*
„*semper noverim in iis quæ spectant ad honorem*
„*Dei & fidei defensionem semper fuisse arden-*
„*tissimam: quamquam etsi mihi mandaret ut dis-*
„*simularem aut fingerem, libere responderem*
„*ut hoc onus alteri injungeretur: quoniam me-*
„*cum decrevi nunquam officium dissimulatoris*
„*exercere. Mandat igitur mihi S. V. ut oppor-*
„*tune provideam: secundum injuncta mihi, ni-*
„*hil aliud scio mihi injunctum in Bulla Domini*
„*Martini, nisi ut diligentia agam.* Hoc igi-
„tur periculum & necessitas fidei & Ecclesiæ
„requirebat & requirit. Arbitrabar enim hu-
„jusmodi diligentiam non solum rei tam san-
„ctæ fore accommodam, sed & S. Vestræ
„magnum honorem & gloriam adferre: cum
„tanquam Nuncius & Minister & nomine S.
„Vestræ omnia gesserim. Si quid ergo dili-
„genter feci, cum pro Christo & S. Vestra id
„egerim delector: Imo pœnitet me diligen-
„tius non fecisse. Damnet igitur quicum-
„que vult, non est mihi curæ, satis mihi
„est quod nec Deus nec S. Vestra me damna-
„bit; nec quisquam dicat quod hujusmodi di-
„ligentia mihi in isto Concilio de novo orta
„sit: Nam testis est universus orbis, quantum
„ut

„ ut decet fere amens laboraverim, & quam „ ardenter pro extinguenda hac hæresi: Interrogetur reverendissimus Dominus meus „ Placentinus quo fervore secum per triennium hoc opus persequutus fuerim: quid „ deinde Romæ fecerim constat toti Curiæ „ & S. Vestræ alias scripsi: hoc non pro laude „ recensui sed ut nemo cogitet vel de novo „ vel ob aliam causam supervenisse mihi hunc „ fervorem. Sed etsi cuiquam hæreticorum „ diligentia displiceret, Curia Romana deberet illam maxime commendare: cum „ Hussitæ nihil aliud satagant nisi penitus delere & extinguere nomen & potestatem „ Curiæ Romanæ & Sedis Apostolicæ.

„ Nunc venio ad Ambasiatam Domini „ Tarentini, de prorogando tempore Concilii, & transferendo locum: utinam tunc „ ego adfuissem in Curia, utinam ibi nota „ essent pericula quæ hic sunt: forte & sine „ forte non venisset cum tali Ambasiata. Cujus Fama jam magnum generat scandalum „ & perturbationem. Quid ergo fiet si effectum consequetur? Quanto fuisset consultius intimare mihi prius ista; qui sum hic in „ facto, ut postea Sanctitas Vestra avisata de „ omnibus maturius deliberaret? Quomodo enim si factum & facti circumstantiæ ignorentur, recte potest consuli? Quanta hic „ scandala sequantur, & quam prope sit „ eversio fidei auscultet patienter S. Vestra.

„Primo, vocati sunt Bohemi ad istud „Concilium, literas vocationis alias misi S. „Vestræ: *Hoc factum quilibet probat tanquam* „*salubre & necessarium*: UT POSTQUAM „ARMIS TOTIES FRUSTRA CERTATUM „EST *alia via tentetur. Jam literæ ive-* „*runt Pragam, & Pragenses respondent Egren-* „*sibus*, prout continetur in litera interclusa: „speratur quod venient. Si Concilium dissol- „vitur quid dicent hæretici? Nonne Eccle- „sia fatebitur se esse victam, cum non ausa „fuerit expectare illos quos vocaverat? O „quanta hic erit confusio Christianæ Reli- „gionis. Approbabimus per hanc fugam er- „rores eorum, & condemnabimus veritatem „& justitiam nostram. Nonne videbitur hic „digitus Dei. Ecce exercitus armatorum to- „ties fugit à facie eorum: & nunc similiter „Ecclesia universalis fugit: Ecce nec armis, „nec literis vinci possunt. Videbitur miracu- „lum Dei, evidenter demonstrans illos ve- „ra sentire, & nos falsa. O infelicem Popu- „lum Christianum! ô fidem Catholicam ab „omnibus destitutam! Te milites, te Sacer- „dotes deserunt & vituperant: Jam nemo „audet pro te stare: Nonne hoc Sacrilegium „imputabitur ei qui hujus Concilii dissolven- „di causa esset? Omnes latrabunt & blasphe- „mabunt Curiam Romanam, quæ tantam „fidei confusionem procuravit.

„Secundo, nonne omnes fideles, qui sciunt „præ-

„ prædictos hæreticos esse ad Concilium vo-
„ catos, remanebunt stupefacti, & putantes
„ quod propter hujusmodi fugam nostra do-
„ ctrina falsa sit: cum ipsi non audeamus eam
„ defendere, sequentur hæresim Bohemorum.
„ Præsertim cum illi jam pluries & nunc pro-
„ ximis diebus diffuderint per totam Alema-
„ niam libellos famosos, continentes circiter
„ triginta Articulos contra fidem, præsertim
„ contra Statum Ecclesiasticum, cum multis
„ auctoritatibus Sacræ Scripturæ & sancto-
„ rum Doctorum, in quibus expresse asse-
„ runt, quod nostri Sacerdotes non habentes
„ quid illis respondeant nunquam voluerunt
„ illis dare audientiam. Quid ergo nunc di-
„ cent Catholici; si post collatam audien-
„ tiam fugimus? Et advertat S. Vestra quod
„ major pars illorum Articulorum est con-
„ tra Sedem Apostolicam & in detractionem
„ Curiæ Romanæ. Item nunciatum est
„ omnibus Universitatibus quod mittant so-
„ lenniores Doctores & Magistros quos ha-
„ bent huc pro ista causa.

„ Tertio, cum sit ubique publicatum hoc
„ Concilium principaliter esse congregan-
„ dum pro hæresi Bohemiæ exstirpanda, quan-
„ ta postea confusio & ignominia erit Ecclesiæ
„ si re infecta recedat? Quantum igitur peri-
„ culum evidentis subversionis immineat quis
„ non consideret? Væ miseris Clericis ubi-
„ cumque reperti fuerint.

„ Quarto, quid dicet universus orbis cum
„ hoc sentiet? Nonne judicabit Clerum esse
„ incorrigibilem, & velle semper in suis de-
„ formitatibus sordescere? Celebrata tot sunt
„ diebus nostris Concilia, ex quibus nulla se-
„ quuta est reformatio. Expectabant Gentes
„ ut ex hoc sequeretur aliquis fructus: sed si
„ hoc dissolvatur, dicetur quod nos irridemus
„ Deum & homines: Et cum jam nulla spes
„ supererit de nostra correctione, irruent me-
„ rito Laici in nos more Hussitarum. Et certe
„ fama publica de hoc est: Animi hominum
„ prægnantes sunt, jam incipiunt evomere
„ venenum quo nos perimant: putabunt se
„ Sacrificium præstare Deo qui Clericos aut
„ trucidabunt aut spoliabunt: Quoniam re-
„ putabuntur jam in profundum malorum
„ venisse: Fient odiosi Deo & Mundo: & cum
„ modica nunc ad eos sit devotio, tunc omnis
„ peribit. Erat istud Concilium quoddam re-
„ tinaculum secularium: sed cum viderint
„ spem omnem deficere laxabunt habenas
„ publice prosequendo nos. Ah quis ho-
„ nor erit Romanæ Curiæ! quæ Conci-
„ lium congregatum pro reformatione tur-
„ bavit. Certe totum odium, tota culpa,
„ & ignominia transferetur in illam tanquam
„ causam auctricemque tot malorum. Ah
„ beatissime Pater! absit à Sanctitate Ve-
„ stra, ut unquam dici possit fuisse tan-
„ torum malorum causam: requiretur de
„ ma-

„ manibus Vestris sanguis pereuntium, de
„ omnibus minutatim oportet in illo districto
„ Dei judicio reddere rationem. Quid tunc di-
„ cetis? quam rationem allegare poteritis?
„ Si ei qui scandalizat unum de pusillis Eccle-
„ siæ tam terribile judicium minatur Deus,
„ quid fiet si contingat Universalem scanda-
„ lizari Ecclesiam. Certe ut nihil taceam,
„ tam omnes vehementer † scandalizati sunt
„ pro hac duntaxat fama, quod mirabile est
„ quid igitur fiet si, quod absit, consumma-
„ bitur? Dicunt jam nos sperabamus quod
„ hic redempturus esset Israel. Pro Deo ab-
„ stineat S. V. à tanto scandalo, etiamsi sciret
„ se occidendam ratione hujus Concilii, non
„ permittat se tam indelebili ignominia notari
„ & tanta scandala sequi. Si in juventute & in
„ omni ætate, si ante dignitatem Cardinala-
„ tus & post semper ostendistis signa integri-
„ tatis & sanctitatis, si semper fuistis nutritor
„ bonorum morum & persequutor malorum:
„ quanto magis nunc facere debetis cum vices
„ Dei geritis in terris? Si modo hoc fiat, si
„ postea vixeritis ut B. Petrus, nunquam cre-
„ demini: putabunt homines omnia ficte fie-
„ ri. Jam igitur de nullo homine nec fides ha-
„ bebitur si tali macula modo S. Vestra per-
„ mittat se inquinari.

„ Quinto, publicatum est hoc Concilium

X 5 „ con-

† *De hoc scandalo consule Bullam Eugenii Sessione* XVI. *Concilii Basileensis pro ejusdem Synodi Approbatione.*

„ congregari pro pace inter Reges & Princi-
„ pes Christianos: quia Bulla Martini, cu-
„ jus Copia ubique diffusa est, inter alias cau-
„ sas etiam propter pacem Christianitatis
„ mandat congregari hoc Concilium, jam
„ invitati sunt Reges & Principes præsertim
„ Franciæ & Angliæ tamdiu inter se bellan-
„ tes: facta sunt etiam ad hoc nonnulla præ-
„ paratoria, de quibus alias scripsi S. Vestræ,
„ qualiter requisivimus Dominum Archiepi-
„ scopum Coloniensem, ut vellet ire in Fran-
„ ciam ad juvandum Reverendissimum Do-
„ minum Sanctæ Crucis. Scriptum etiam est
„ præfato Domino Sanctæ Crucis, qui nun-
„ ciavit, quod si eligatur aliquis locus ad quem
„ conveniant Ambasiatores utriusque partis,
„ utile valde esset quod aliqua solennis Amba-
„ siata illuc mitteretur ex parte Concilii. Nec
„ quisquam dicat quid opus est quod Conci-
„ lium se in hoc intromittat, cum Dominus
„ Sanctæ Crucis ad hoc missus fuerit? Quia
„ judicio omnium hoc creditur expedire, &
„ ipse Dominus Sanctæ Crucis, ut supra di-
„ ctum est, laudat. Deinde quicquid fit, fit no-
„ mine S. Vestræ: & omnis laus & meritum
„ erit Vestrum. Deinde, nonne Dominus
„ Martinus prius misit Dominum S. Crucis, &
„ postea dedit istam facultatem ad procuran-
„ dum pacem inter Reges Christianos. Quid-
„ quid sit, prodesse potest, nocere non potest.
„ Sexto, scriptum est Regi Poloniæ, Duci
„ Li-

„ Lituaniæ & Pruthenis rogando ut interim
„ suspendant guerras, offerendo mittere Am-
„ basiatam ad tractandam Pacem. Et super
„ hoc etiam scriptum est Prælatis Poloniæ:
„ Nonne reputabunt se delusos? quot mala
„ ex illa guerra sequi possent si perseveret,
„ alias scripsi S Vestræ: timendum est enim
„ ne alter Tartaros, alter Bohemos in subsi-
„ dium invocet in perniciem Christianitatis.
„ Septimo, his diebus civitas Metropolitana
„ Magdeburgensis expulit Archiepiscopum
„ & Clerum: & jam illi Cives incedunt more
„ Bohemorum cum curribus, & dicitur quod
„ miserunt pro uno Capitaneo Hussitarum,
„ & quod valde timendum est, habet civitas
„ ista ligam cum multis civitatibus & com-
„ munitatibus illarum partium. Item, civi-
„ tas † Pataviensis, quæ est de dominio Do-
„ mini Episcopi, expulit Episcopum & erexit
„ machinas contra quoddam Castrum Epi-
„ scopi: utraque istarum Civitatum est finiti-
„ ma Bohemis: & si conjungant se cum illis,
„ prout valde timendum est, multarum Ci-
„ vitatum habebunt sequelam. Scriptum est
„ utrisque rogando ut supersedeant à guerra.
„ Et si quæ controversia inter ipsos sit, offert
„ se Concilium velle illam terminare, & ta-
„ liter providere, quod ipsi Cives remanebunt
„ optime contenti. Missus est etiam quidam
„ Ambasiator versus Magdeburgum, ad tra-
„ ctan-

† *Hæc Urbs sita est ad Dannubium.*

„ctandum hoc negotium Pacis, scribendo
„Dominis & Communitatibus circumvici-
„nis ut etiam se interponant. Idem, fiet ver-
„sus Pataviam, postquam redierit Nuncius
„illuc missus. Item, quia magna est discordia
„inter civitatem Bambergensem & Episco-
„pum & Capitulum, quæ est supra modum
„periculosa propter vicinitatem hæretico-
„rum, Concilium dat operam ad interpo-
„nendum se pro concordia, & vocat utram-
„que partem quæ jam venit. Si ergo dissol-
„vatur Concilium, discordiæ istæ non tol-
„lentur, sed augebuntur & trahent post se
„multas alias Civitates & Oppida.

„Octavo, ex Consilio Domini Archiepi-
„scopi Coloniensis requisitus est Dominus
„Dux Burgundiæ, & sibi scriptum, si vellet
„acceptare expeditionem illam contra Bo-
„hemos, quoniam ipse videtur ad hoc valde
„idoneus & inclinatus: & modicum est quod
„fecit Treugas cum Domino Rege Carolo
„ad biennium: & in tenore Treugarum ex-
„presserat quod ad illas motus fuerat ut pos-
„set intendere ad exstirpationem Bohemo-
„rum prout fuerat à me requisitus: Jam ipse
„mihi rescripsit, quod vult mittere huc Am-
„basiatores ad practicandum hoc negotium.
„Si Concilium dissolvatur ecce primo perde-
„mus hoc tam utile medium, deinde irritabi-
„tur ille Princeps contra Ecclesiam, à qua di-
„cet bis se fuisse delusum. Ecce quomodo om-
„nia

„ nia mirabiliter se disponunt ad eversionem
„ Status Ecclesiastici: Ideo merito facienda fuit
„ & est summa & exacta diligentia adhiben-
„ da ut omnes Prælati huc confluerent, ut una-
„ nimi consensu per universam Ecclesium im-
„ poneretur aliquod notabile subsidium pro
„ hac re, etiam ultra decimam si opus esset:
„ quod si fuisset impositum in Concilio, sine
„ difficultate fuisset exactum: quod non sic
„ fuit tempore Domini Martini. Copiam lite-
„ ræ Ducis Burgundiæ mitto hic interclusam.
„ Nono, militares & nobiles de Alemania
„ obtulerunt se ducere potentissimum exer-
„ citum proxima æstate in Bohemiam, dum-
„ modo daretur eis subsidium communium
„ expensarum, ut supra dictum est. Et quia
„ jam sunt quatuor menses quod hoc annun-
„ ciavi S. Vestræ, primo per Abbatem Pe-
„ rusinum, deinde per plurimas literas, nec
„ adhuc habui responsum: & illi miserunt
„ mihi intimare per Magistrum Prutheno-
„ rum Alemaniæ, quod nisi in octava S.
„ Martini darem eis firmam spem istius subsi-
„ dii dimitterent hunc tractatum expeditio-
„ nis. De consilio Concilii scripsi eis, & misi
„ Ambasiatorem promittendo tale subsidium.
„ Iterum pridie scripsi & solicitavi eos per
„ duos Ambasiatores ad prosequutionem tam
„ sancti operis, promittendo iterum dictum
„ subsidium, forsitan non habebitur de Curia,
„ ideo feci & facio diligentiam pro Congre-
„ ga-

„ gatione Prælatorum : ut si ex Curia non
„ habeatur, habeatur hic. Quod si dissolva-
„ tur Concilium, cujus nomine illi requisiti
„ sunt, & etiam promissio facta, quid dicent
„ illi ? Nonne dimittent hoc quod incœpe-
„ rant, quod erit maximum damnum : &
„ audacia nimia dabitur hæreticis, & nostris
„ diffidentia, absque omni spe incutietur ti-
„ mor, & cogentur concordare cum hæreti-
„ cis: & ita patet quoniam ista spes multum
„ prodest, etiamsi nihil sequatur: quia retinet
„ homines ne adhæreant hæreticis. Sed quod
„ forsitan deterius erit, nonne tota militia &
„ nobilitas Alemaniæ, videns se delusam &
„ deceptam per Ecclesiam, irritabitur con-
„ tra Clerum ? & quia fecerunt præparatio-
„ nes, &c. spoliabunt & persequentur Clerum
„ ubicumque. Qualiter etiam aperto ore
„ blasphemabunt Clericos, dicentes, nos
„ volebamus ponere corpora nostra & etiam
„ substantiam nostram pro defensione eorum,
„ & ipsi quorum res agitur noluerunt modi-
„ cissimam pecuniam contribuere. Vere ve-
„ re hoc est ponere gladium in manibus
„ eorum, & dare eis expressam licentiam,
„ quod irruant super Clericos vehementius
„ quam hæretici. Ecce non sufficiebat nobis
„ Bohemos inimicos habere, nisi gratis facia-
„ mus nobis inimicam tantam multitudinem
„ nobilium secularium : quando ista narra-
„ buntur per orbem, nonne alii commen-
„ da-

„ dabunt quicquid fecerint militares adversus „ nos ? Nonne & alii finaliter contra nos ac- „ cendentur & provocabuntur ? Ecce in „ quantis periculis sumus : quæ , ut verum „ dicamus , nos in nos ipsos concitamus. „ Sed ego ero ubicumque infamis , cujus li- „ teras manu mea scriptas super promissione „ hujusmodi subsidii illi militares habent. „ Certe ut his periculis occurram , & ne „ sim causa eversionis status Ecclesiastici , ac „ ut hanc totam infamiam effugiam laborabo „ pro viribus si potero , ut Prælati hic exi- „ stentes ad hoc subsidium contribuant : ex „ quo de consilio eorum ista tentavi. Et si „ non potero hoc efficere, decrevi potius mori „ quam ignominiose vivere. Ibo forsitan „ Nurembergam & ponam me in manibus „ illorum nobilium ut faciant de persona „ mea quicquid volunt , etiamsi velint me „ vendere hæreticis. Saltem omnibus con- „ stabit de innocentia mea. Ecce meritum „ quod expecto ex diligentia & fervore pro „ defensione fidei Catholicæ. Certus sum „ cum S. Vestra talia audiet aliter determina- „ bit , aliter etiam providebit : quia finaliter „ totum onus & omnis nota redundabit in „ Sedem Apostolicam & Sanctitatem Ve- „ stram. Quantum successit mihi contra „ spem ! Putabam quod S. Vestra mitteret „ mihi subsidium petitum , & nunciat ut „ practicem dissolutionem Concilii. Etsi di-

„ cat

„ cam pecuniam. Item, accessit ad hoc consensus istorum Patrum de Concilio: & „ forsitan S. Vestra si non potest nunc subvenire, permittat quod cum istis de Concilio procurem modum subveniendi: alioquin video fidem & Statum Ecclesiasticum „ ruere irremediabiliter.

„ Decimo, cum post recessum meum de „ Bohemia, multi Domini & oppida vicina „ Bohemiæ inierint treugas cum hæreticis; „ ne alii hoc facerent isti de Concilio miserunt „ duos nobiles viros per Austriam, Bavariam, „ Franconiam, & Misniam ac circumcirca „ Bohemiam, exhortando populos & Dominos ut maneant firmi in fide, & quod propter hoc Concilium congregatum est: dando „ eis spem quod omnino Concilium adhibebit aliquod remedium ad exstirpandam hanc „ hæresim: & nonnulli jam cogitabant inire „ treugas cum hæreticis: qui audita fama Concilii sperantes hinc aliquid contra illam hæresim concludi destiterunt. Si modo dissolvatur Concilium: nonne populi Germaniæ, videntes se non solum destitutos ab „ Ecclesia sed deceptos, concordabunt cum „ hæreticis & fient nobis inimicitiores quam „ illi? heu heu! quanta ista erit confusio? finis pro certo est: jam ut video securis ad radicem posita est: inclinata est „ arbor ut cadat, nec potest diutius persistere. Et certe, cum per se stare posset,

„ nos ipsam ad terram præcipitamus. Saltem
„ qui non vult præbere fidei subsidia non præ-
„ beat impedimenta. Ecce quot mala, quot
„ scandala ex tali dissolutione sequentur. Et
„ posito quod nihil eorum bonorum quæ
„ prædicta sunt ex hoc Concilio sequeretur si
„ perseveret: tamen si dissolvatur, omnes di-
„ cent si non fuisset dissolutum tot & tanta bo-
„ na processissent: & totum hoc S. Vestræ im-
„ putabitur, nec unquam poterit hanc macu-
„ lam abstergere. Permittat ergo cursum
„ suum facere, ex quo per alia præcedentia
„ Concilia & per Prædecessorem Vestrum in-
„ choatum est, & per S. Vestræ literas appro-
„ batum.

„ Et quamquam dicatur talis prorogatio &
„ loci translatio sit ad bonum finem, ut ibi
„ præsente Sanctitate Vestra majora bona se-
„ qui possint, *nemo hoc credit, quia dicunt*, FUI-
„ MUS DELUSI IN CONCILIO SENENSI. *Iterum*
„ *in isto.* Missus est Legatus, missæ sunt Bullæ,
„ & nihilominus quæritur loci mutatio &
„ prorogatio temporis: quid poterit sperari
„ tunc? Item, Beatissime Pater, per hujusmodi
„ prorogationem non tolluntur scandala quæ
„ narrata sunt: essent interrogandi hæretici,
„ si volunt expectare usque ad annum cum
„ dimidio ut non disseminent virus suum:
„ Essent & interrogandi qui scandalizan-
„ tur de deformitate Cleri an interim ve-
„ lint supersedere: Ecce quotidie pullulat
„ hæ-

„ hæresis, illi quotidie seducunt Catholicos,
„ aut vi opprimunt, non perdunt minimum
„ temporis momentum: quotidie nova scan-
„ dala ex deformitate Clericorum insurgunt,
„ & nihilominus provisiones ex remedio pro-
„ crastinantur. Fiat quod fieri potest nunc,
„ reliquum servetur ad annum cum dimidio.
„ Ego timeo quod usque ad annum cum di-
„ midio, nisi aliter provideatur, magna pars
„ Cleri Alemaniæ erit dissoluta; si per Ger-
„ maniam diffunderetur hæc vox, quod Con-
„ cilium esset dissolutum, pro certo Clerus
„ omnis daretur in prædam. Cur S. Vestra se
„ mutavit? *Scripsit mihi ut venirem huc, & jux-*
„ *ta injuncta mihi & ordinata in Concilio Con-*
„ *stantiensi opportune providerem:* Ita facere cu-
„ ravi: si S. Vestra habebat hunc animum tam
„ cito dissolvendi, melius fuisset non incipere.
„ Quid timet S. Vestra? quoniam tam munde,
„ tam juste vixit, quod potius alii deberent il-
„ lam timere, quam ipsa alios. Certe magna
„ admiratio omnes cepit talia audiendi. Et ut
„ nihil eorum quæ dicuntur taceam, aliqui
„ timent quod forsitan gravis & longa infir-
„ mitas non permittat S. Vestræ ita mature
„ consulere sicut expediret. D. Martinus stetit
„ in Papatu XIV. annis, & nihilominus manda-
„ vit fieri Concilium. Et ut recolo dixisse, à S.
„ Vestra bis diverso tempore postulavi, quid
„ vellet me facere, semper eundem sermonem
„ respondit, FAC BONUM. Adducit me San-

 „ ctitas

„ ctitas Vestra in quendam stuporem cum ta-
„ lia audio. Solebat S. Vestra constans & fir-
„ ma esse, & nunc se mutavit. Dicatur quic-
„ quid dici potest, homines non credunt hoc
„ fieri ad bonum: dicunt si non potest ipse ve-
„ nire propter infirmitatem, mittat alios no-
„ tabilissimos viros: non hoc est Concilium
„ primum quod absente summo Pontifice
„ celebratum est. De securitate loci dicunt
„ non esse dubitandum: quia cives promi-
„ serunt defendere à quocumque in plena for-
„ ma pout in Constantia.

„ Sed audio quod nonnulli trepidant, quod
„ in hoc Concilio debeat auferri temporalitas
„ ab Ecclesia: mira res, si hoc Concilium non
„ fieret per viros Ecclesiasticos, forsitan du-
„ bitandum foret. Sed quis erit iste Ecclesi-
„ asticus, qui huic determinationi consentiat?
„ Non solum quia esset contra fidem, sed quia
„ redundaret in detrimentum eorum. De lai-
„ cis quis erit? Nulli aut paucissimi. Et si for-
„ sitan aliqui Principes mittant, mittent ple-
„ rumque Ecclesiasticos, qui nullatenus con-
„ sentirent: Nec illi pauci laici qui erunt ad-
„ mittentur ad vocem, ubi agitur de rebus
„ Ecclesiasticis. Et vix puto quod decem in
„ toto Domini seculares hic erunt personali-
„ ter, & forte non quinque. Deinde non puto
„ quod hoc Concilium sit futurum majus
„ quam Pisanum vel Constantiense, *nec tamen*
„ *ibi fuit tractatum per Concilium*, AN TEM-

„ PO-

,, PORALITAS DEBEAT AB ECCLESIA
,, TOLLI. Puto uſque ad hunc diem à paſſio-
,, ne Domini fuiſſe circiter centum Concilia
,, celebrata & in nullo eorum hoc fuit agita-
,, tum: Quomodo timendum eſt quod in iſto
,, auferri debeat? Nec etiam unquam fuit
,, aliquod legitime congregatum Concilium
,, in quo Spiritus S. permiſerit aliquid contra
,, fidem determinari: cur timendum eſt con-
,, trarium in hoc? Hoc eſt diffidere Spiritui
,, Sancto. Sed vereor ne contingat nobis ſicut
,, contigit Judæis, qui dixerunt: *Si dimitti-*
,, *mus hunc, venient Romani & tollent locum no-*
,, *ſtrum & gentem.* Ita & nos dicimus: Si
,, admittimus fieri Concilium, venient laici
,, & tollent temporalitatem noſtram. Sed
,, ſicut juſto Dei judicio factum fuit quod
,, Judæi perdiderunt locum ſuum, quia no-
,, luerunt dimittere Chriſtum: Ita & juſto
,, Dei judicio, quod quia nolumus dimittere
,, Concilium fieri, perdemus temporalita-
,, tem noſtram, & utinam non corpora &
,, animas. Quando Deus vult alicui populo
,, aliquod infortunium immittere, [*Nota*]
,, primo diſponit ut pericula non intelligan-
,, tur neque conſiderentur. Ita videtur nunc
,, contingere viris Eccleſiaſticis, quos ſæ-
,, pe redarguo eſſe cæcos: qui vident ignem
,, & nihilominus currunt verſus illum. Iſte
,, ſonus diſſolutionis Concilii ſermonem ha-
,, bet mali, & ſuſpicionem generat, & homines

„irritat: mira res: per Concilia invenio ro-
„boratam atque defensam & semper auctam
„potestatem Ecclesiæ & libertatem Eccle-
„siasticam, & nunc timemus debere tolli.
„Sed esto, decernendum sit ut tollatur tem-
„poralitas, ad huc majus est periculum fidei
„si dissolvatur Concilium, ut supra clarius
„probatum est.

„Forsitan quod præjudicetur auctoritati
„summi Pontificis in aliquibus non puto ali-
„quem debere consentire contra canonicas
„sanctiones decretaque sanctorum Patrum:
„nec Spiritus Sanctus illud permittet. Nun-
„quam fuisset celebratum aliquod Conci-
„lium, si hujusmodi timor invasisset corda
„Patrum nostrorum, sicut invadit nostra.
„Sed & si hunc timorem habemus, cur non
„opponimus remedium? Cur ad evitandum
„unum malum volumus incurrere majus?
„Ecce remedium ad hoc: mittat huc S. Vestra
„aliquos de reverendissimis Dominis Cardi-
„nalibus, & aliquos notabiliores Prælatos,
„qui reperiri possunt, & bene affectos Sedi
„Apostolicæ, & qui sint bene inclinati ad
„bonum universale: det S. Vestra omnem
„favorem possibilem huic Concilio, promo-
„veat ipsum quantum potest, scribat ei lite-
„ras benignas, exhortando ipsos ad sancta
„opera quæ proponunt offerendo se, &c.
„Illa quæ Concilium petit à S. Vestra beni-
„gne concedat: Studeat eadem Sanctitas in-
„ve-

„venire pecunias pro isto modico subsidio „militarium de Alemania. Etiam si quid restat „reformandum in Curia reformet S. Vestra „prout laudabiliter inchoavit: etiam scribat „istis, si quid est quod videatur istis de Con-„cilio per S. Vestram esse faciendum pro bo-„no universalis Ecclesiæ, quod est totis vi-„ribus parata. Quando isti talia videbunt & „audient in veritate, puto quod etiam si ha-„berent malum animum mutarent illum: & „non solum studebunt conservare auctori-„tatem Sedis Apostolicæ, sed augere: quia „tanto utilius est membris quanto caput est „potentius ac fortius, ut major virtus diffun-„datur in membra. Sed si videant contra-„rium, verbi gratia de dissolutione Conci-„lii, tunc scandalizantur: & sequitur hoc, „quod ubi prius erant tepidi, hujusmodi vox „reddet ipsos magis acutos & ferventes.

„In veritate cum pridie cives hujus civita-„tis venirent in publicam congregationem, „præsente Domino Tarentino, & conque-„rerentur de hac suspicione orta super disso-„lutione, petentes ut apponeretur reme-„dium propter scandala: omnes de Concilio „quodammodo versi sunt in furorem, & fir-„marunt se fortius ad perseverandum: & ut „ex dictis ipsorum colligere potui, parati „sunt omnia sustinere antequam recedant. „Multa dixerunt, non tamen contra hono-„rem S. Vestræ: imo eam ex gestis per om-

„ nem ætatem valde commendabant: & pro-
„ pterea reputabant non verisimile hoc pro-
„ cedere de mente S. Vestræ. Propterea S.
„ Vestra diligenter advertat, quod ultra pe-
„ ricula supradicta etiam imminet aliud peri-
„ culum majus, videlicet schismatis: de quo
„ vehementer timeo, si S. Vestra perseveret
„ in hoc proposito dissolvendi Concilium. Isti
„ nunquam consentient nec prorogationi,
„ nec translationi: quia ut dixerunt tunc, de-
„ cretum Constantiæ hoc expresse prohibet.
„ Item, visi sunt expresse protestari, quod pro-
„ curare talia, est impedire exstirpationem
„ hæreseum, reformationem morum & quie-
„ tem populi Christiani: & consequenter fo-
„ vere hæreses, peccata, guerras & odia. Quid
„ hæc significent animadvertat obsecro ea-
„ dem Sanctitas V. Pro Deo non permittat si-
„ bi talia persuaderi: quia timeo dissidium in
„ Ecclesia Dei; vereor ne advenerit tempus de
„ quo dicit Apostolus: *Quod oportet primum ut*
„ *fiat discessio.* Tantum est beatissime Pater
„ prout aperte intelligo: si ego vel quivis alius
„ auderet sine consensu istorum dissolvere vel
„ mutare locum Concilii lapidarent & cape-
„ rent me ut hæreticum: & credo dentibus
„ me laniarent. Si quis meam mortem appetit
„ mittat me Pragam vel ad Sarracenos ubi
„ moriar ut Catholicus: pro fide cupio &
„ vovi mori: sed non hoc modo in scan-
„ dalum universalis Ecclesiæ. Si S. Vestræ
„ non

„ non placet ut ſim Legatus veſter intimet
„ mihi; & poſt iſtas literas & reſponſum à S.
„ Veſtra ſtatim dimittam legationem: imo
„ erit mihi gratius quod alteri committatur
„ hæc provincia, quia pluribus & laboribus
„ & ærumnis anguſtiiſque mentis & corpo-
„ ris video me hic obnoxium. Revertar Ro-
„ mam ſi placet, & ſtabo cum majori quie-
„ te: & ſpero apud S. Veſtram ita grate videri
„ ſicut quicumque alius. De hoc autem ad
„ pedes S. Veſtræ profuſis lacrymis ſupplico,
„ quod non quæratis ignominiam & ſcanda-
„ lum meum, & non tam meum quam fidei:
„ videlicet ut cum propter fidei cauſam obli-
„ gatus ſim prædictis militaribus, quod S.
„ Veſtra det modum ut illis ſubveniatur.
„ Alioquin etſi non ut legatus, ſaltem ut pri-
„ vata perſona laborarem in hoc Concilio,
„ ut iſti Patres de Concilio ſubventionem
„ prædictam facerent: quod ſi non poſſem
„ efficere, priuſquam hac macula fœdari ve-
„ lim ut antea dixi, irem ad Nurembergam
„ & ponerem me in manibus dictorum mi-
„ litantium.

„ Satis jam dixi, optime S. Veſtra diſcutiat
„ omnia, conſideret præteritam vitam meam,
„ & cogitet an me mendacem invenerit aut
„ infidelem. Deum teſtor qui me judicaturus
„ eſt, ſi ex renibus Veſtris genitus eſſem
„ fidelius conſulere non poſſem. Quicquid
„ dixi ex fonte ſuperfluentis charitatis, quam

 „ ad

„ ad honorem Dei & S. Vestræ habeo, sine „ dubio prodiit. Si quid forsitan acutius quam „ deceret expressi, adscribatur filiali devo- „ tioni & ardenti charitati, quæ non consi- „ derat Majestatem ejus cui loquitur: sed „ impetu amoris fertur sine modo & mensura. „ Quando domus ardet licet servis clamare & „ perstrepere, & dominum si forte dormiat „ sine reverentia excitare. Nihilominus hu- „ millime veniam peto si quid in hac epistola „ erratum est.

„ Post prædicta D. Tarentinus dixit Nun- „ cium venisse de Curia, & præsentavit mihi „ quandam Bullam facultatis dissolvendi „ Concilium, ante cujus dissolutionem una „ cum consilio Concilii deputarem locum „ ad decennium: asseruit nihil aliud habere „ tangens Concilium, quam hoc & nonnul- „ la alia super hoc dixit tam mihi quam aliis, „ quæ utinam pro honore Episcopalis digni- „ tatis non dixisset. Et quia prius omnes erant „ valde scandalizati de ipso de Consilio suo, „ publice excusavi eum, dicens, quod circa „ factum Concilii nihil ipse habebat, sed to- „ tum erat apud me: & quod nullatenus ha- „ berent timere: quia nihil circa hoc faceret. „ Etiam ipse pluribus magnæ auctoritatis „ dixerat, quod putaret se sacrificium præ- „ stare diabolo si aliquid in dissolutionem hu- „ jus Concilii faceret. Et quia omnes male „ auspicabantur de S. Vestra propter hanc fa-

„ mam

„ mam dissolutionis, ne putarent S. Vestram
„ hoc procurare ad malum & sine aliquibus
„ motivis, de Consilio dicti Domini Taren-
„ tini legi dictam Bullam aliquibus majori-
„ bus. Qui respondentes dixerunt, quod cum
„ S. Vestra esset mota ex non veris causis, nec
„ esset vere informata de facto, & ignoraret
„ inconvenientia & scandala quæ ex tali disso-
„ lutione sequi poterant contra Fidem & Ec-
„ clesiam, volebant ad eandem Sanctitatem
„ mittere Ambasiatorem, qui eam de omnibus
„ plene informaret: reddentes se certos, quod
„ illo audito aliter deliberaret, & quod nulla-
„ tenus huic dissolutioni assentirent, prius-
„ quam informassent eandem Sanctitatem de
„ his quæ consistunt in facto. Dicebant pri-
„ mo, quod causa illa expressa in Bulla, quod
„ nonnulli Oppidani circa Basileam erant in-
„ fecti hæresi Bohemica & persequebantur
„ Clerum, non erat vera: quoniam omnes sunt
„ fideles & nihil tale auditur in his partibus.
„ Imo isti Cives Basileenses sunt boni Catho-
„ lici, & bene defendunt & protegunt Cle-
„ rum. Secunda causa, quod non erat tutus ac-
„ cessus propter guerram Patriæ inter Duces
„ Burgundiæ & Austriæ, etiam non est vera;
„ quia facta est treuga, & nullus veniens ad
„ Concilium unquam offensus, vel deroba-
„ tus est. Unde cum principaliter S. Vestra
„ mota sit ex his, dicunt Bullam subreptitiam.
„ De hyeme dicunt non esse sufficientem cau-
„ sam

„ ſiam diſſolutionis: quia qui volunt venire
„ non dimittunt propter hyemem. Item, di-
„ cunt quod propter Græcos non eſt omitten-
„ dum hoc Concilium tam ſolenniter inſtitu-
„ tum: & abſurdum arbitrantur, quod pro-
„ pter incertam reductionem Græcorum de-
„ beat permitti, quod Germania nunc &
„ ſemper fidelis labatur in hæreſim Bohemo-
„ rum: de quo valde timendum eſſe dicunt, niſi
„ apponatur celerirer remedium: ET QUOD
„ ISTA CANTILENT DE GRÆCIS JAM TRECEN-
„ TIS ANNIS DURAVIT, *& omni anno renova-*
„ *tur*. Item, dicunt quod utrumque tanquam
„ bonum fiat: hoc nunc in tempore ſtatuto,
„ & illud ad annum cum dimidio: & quod
„ omnes lubentur erunt parati venire poſtea
„ ad illud: & quod intra illud tempus hoc erit
„ bene completum, & multa alia circa hoc
„ dicunt. Ad illud de præſentia Sanctitatis
„ Veſtræ dicunt, quod ſi illa ex cauſa intereſſe
„ non poſſit, quod attento periculo fidei &
„ ſtatus Eccleſiaſtici, non propterea negli-
„ gendum eſt hoc Concilium, in quo eſt Le-
„ gatus S. Veſtræ, & poterunt etiam mitti
„ plures: & quod Papa Martinus in Bulla
„ Concilii aſſerit ſe etiam propter infirmita-
„ tem notoriam non poſſe ad Concilium ve-
„ nire: & nihilominus mandavit Concilium
„ fieri. Habui ſuper his omnibus quæ dixi
„ Colloquium cum ipſo Domino Tarentino,
„ & licet ipſe videretur omnino affectus ad
„ diſ-

„ dissolutionem, nihilominus dicebat quod
„ non venerat nisi ad conferendum mecum de
„ materia, & quod regeret se Consilio meo,
„ & secundum quod ego scriberem S. Vestræ
„ ita ipse faceret. Imo multo citius ista inti-
„ massem S. Vestræ nisi ipse fecisset me differ-
„ re. Post hæc uno mane intempestive, præ-
„ cipitanter recessit, nulla mihi facta men-
„ tione: & fecit dari vocem quod ire volebat
„ ad Argentinam pro exigenda pecunia Ca-
„ meræ à quodam Collectore. Sed modo hic
„ dicunt quod fuit visus Bisuntium. De hoc
„ vehementer obstupui, quod ita diffidenter
„ mecum egisset, attentis his quæ ante dixe-
„ rat. Ego simpliciter in omnibus sibi credidi:
„ Doleo quod negotia fidei tractantur & tur-
„ bantur cum tanto ludibrio. Remansit hic
„ quidam Doctor suus juvenis, qui ostendit
„ mihi duplex transumptum: Unum in quo
„ S. Vestra dissolvit, aliud in quo dat potesta-
„ tem ipsi Tarentino dissolvendi. Dixi ut
„ ostenderet mihi Originales literas: quia to-
„ tiens invenio ipsum variasse, & tot falsa &
„ ficta audivi in hac re, quodam modo coge-
„ bar ipsi non credere: adhuc mihi non osten-
„ dit, sed quandoque dicit unum, quando-
„ que aliud. Rogavi quod vellet ire usque
„ ad Dominum Tarentinum, quod si quid
„ haberet in mandatis vellet differre usque
„ ad duos menses donec S. Vestram consu-
„ luissem super his. Nisi videam literas Ori-
„ gi-

„ginales non credam: quia non videntur ista
„bene congruere; quod committatur mihi
„dissolutio, & quod ante dissolutionem eli-
„gam locum cum Consilio Concilii, & quod
„ante Romæ per se Sanctitas Vestra dissolve-
„rit. Præsertim cum sit expresse contra teno-
„rem Decreti Concilii Constantiensis; in quo
„cavetur quod per mensem ante dissolutio-
„nem Concilii eligatur locus futuri Con-
„cilii consentiente & approbante Concilio.
„Sed quid erat opus uti tot involutionibus?
„Cur mihi ista clare non exprimuntur? Si-
„gnum est quod de me non confiditur: de
„omnibus patientiam habeo. Isti Patres
„omnino decreverant stare hic & conti-
„nuare Concilium & mittere unum nota-
„bilem Virum ad S. Vestram infra duos
„dies. Video jam apertum ostium ad maxi-
„mum scandalum & confusionem in Ec-
„clesia Dei: video jam Deum vibrasse gla-
„dium super nos, securis ad radicem posita
„est: flagellum jam appropinquat. Sum
„certus quod S. Vestra non putabat rem
„istam fore tam scandalosam; quia prius
„permisisset se mori quam assensisset. Sed pro
„Deo opponatur remedium possibile, quod
„mihi videtur esse & facile & honestum:
„videlicet quod S. Vestra rescribat, quod
„cum non esset de his informata, ideo co-
„gitaverat propter bonum differre usque
„ad annum cum dimidio: sed cum talia
„au-

„ audiverit, ideo decrevit quod Concilium
„ habeat cursum suum, & mandare dignetur
„ Domino Tarentino, si forte aliquid habet
„ ad dissolutionem, quod non publicet. Ad
„ minus beatissime Pater differat S. Vestra
„ usque ad mensem Julii: quia tunc cessabunt
„ illa inconvenientia & scandala quæ modo
„ obstant: videlicet de hæreticis vocatis ad
„ Concilium & Militaribus: quia infra illud
„ tempus omnia ista erunt completa. Pote-
„ runt etiam fieri aliquæ ordinationes super
„ reformatione Cleri Alemaniæ, & mitti per
„ Germaniam, & sic videbitur aliquid fa-
„ ctum, nec tunc poterit aliquid imputari
„ Sanctitati Vestræ. Et hoc quidem quod
„ nunc fieret cum scandalo & sine effectu,
„ tunc honestius fieri poterit. Beatissime Pa-
„ ter omnes fideles Servitores S. Vestræ supra
„ modum de his contristantur: præsertim
„ Dominus Archiepiscopus Treverensis &
„ Ratisbonensis qui modo sunt hic: videtur
„ eis & omnibus quod ex hoc perpetua nota
„ remaneret super Sanctitatem Vestram &
„ Curiam Romanam, & omnes semper ei
„ detraherent: & quod graviter ac publice
„ Universalis Ecclesia ex hoc scandalizaretur,
„ & Sanctitas Vestra uno momento perderet
„ illam integritatis & sanctitatis famam
„ quam tot annis acquisivit. Possemne
„ ego scire beatissime Pater quid timeat
„ Sanctitas Vestra aut Curia Romana:
„ nun-

„nunquid non ego ſum membrum Eccleſiæ
„& Curiæ Romanæ ? Nunquid etiam mea
„non intereſſet ? Quare ergo iſta me latent ?
„Maceror intra me. Confidat obſecro San-
„ctitas Veſtra de me ſi quid eſt quod timere
„oporteat. Ecce juro per viventem in ſecu-
„la quod quantum cum Deo poſſum paratus
„ſum mori & ire in carcerem pro Sanctitate
„Veſtra. Differat ergo eadem Sanctitas per
„hoc modicum tempus, in hoc nulla excu-
„ſatio eſſe poterit : quia non poteſt quoquo-
„modo propter hoc impediri illud Conci-
„lium de Græcis. Item, etiam ſi placet pote-
„rit Sanctitas Veſtra in Bononiam indicere
„non ſolum ad annum cum dimidio ſed ad
„duos. Nihilominus Sanctitas Veſtra his
„non obſtantibus non intendit flecti amore
„Jeſu Chriſti : providere dignetur quod ego
„liberer à promiſſione facta illis militaribus.
„Nam ſi Sanctitas Veſtra non miniſtraret
„prædictum ſubſidium, nec iſti de Conci-
„lio, oporteret me, ut dixi, ire ad Nurem-
„bergam, & ponere me in manus illorum
„militarium : prius volo mori in carceribus
„eorum quam promiſſionis meæ eſſe fractor.
„Si Regulus gentilis propter promiſſionem
„ſuam non timuit reverti ad Carthaginen-
„ſes, quid propter Fidem Catholicam illis
„obligatus ſum ? timebo ad eos redire ?
„Jam neſcio quid plus dicam : feci & facio
„quantum potui : non potero plus, flebo &
„la-

„ lacrymabo, si quid scandali ex hac dissolu-
„ tione prout timeo sequatur. Sed nec pecca-
„ tum meum, neque iniquitas mea. Satis cla-
„ mavi & raucæ factæ sunt fauces meæ. Tu
„ Jesu Christe adjuva Ecclesiam tuam quam
„ tuo pretiosissimo Sanguine fundasti. Aviso
„ S. Vestram quod me hinc recedente vel di-
„ mittente præsidentiam isti statim facient si-
„ bi unum Præsidentem auctoritate Conci-
„ lii. Ad certas Instructiones tangentes ea
„ quæ hactenus hic facta sunt respondeo pla-
„ ne per schedulam hic interclusam. Sed
„ quicquid actum est, factum est secundum
„ dispositionem Juris communis & formam
„ Conciliorum Pisani & Constantiensis &
„ Bullam Domini Martini, & una cum con-
„ sensu eorum qui hic sunt, &c.

Post hanc Epistolam Cardinalis Sancti Angeli, statim atque Oratores Concilii Basileensis ex Bohemia cum spe conversionis Bohemorum reversi sunt, idem Cardinalis alteram misit ad Eugenium hac forma. „ *Bea-*
„ *tissime Pater post devota pedum oscula. Jam*
„ *nunc universus cognoscet Orbis an viscera Pa-*
„ *ternæ Charitatis & Zelum domus Domini*
„ *V.S. habeat: an missa sit ad Pacem vel ad dis-*
„ *sidium: an ad congregandum vel dispergen-*
„ *dum: an ille bonus Pastor sitis qui animam*
„ *suam ponit pro Ovibus suis. Ecce jam*
„ *ostium aperiri incipit per quod Oves perdi-*
„ *tæ ad proprium ovile regressuræ sunt. Ecce jam*

„*spes est in januis reconciliationis Bohemorum.*
„*Si S. Vestra hoc demum opus, prout tenetur,*
„*adjuvet ac promoveat, gloriam in cælo & in*
„*terra perpetuam consequetur. Si forsitan, quod*
„*nullatenus credendum est, impedire conetur,*
„*omnes illam arguent impietatis: Cœlum &*
„*terra adversus illam conspirabunt. Nemo erit*
„*qui eam non deserat. Nam quo modo ille se-*
„*quendus est, qui cum Ecclesiæ Pacem & quie-*
„*tem unico verbo dare possit id facere re-*
„*cusat? Sed meliorem jam spem concipio*
„*quod modo eadem S. Vestra sine ulla ex-*
„*cusatione tota mente huic sacro favebit Con-*
„*cilio: & gratias omnipotenti Deo aget quod*
„*pro tanto bono ista congregatio hinc non disces-*
„*serit.* Ecce Legati hujus sacri Concilii ex
„Egra cum lætitia & exultatione redientes,
„referunt quemadmodum per gratiam Spi-
„ritus sancti firmiter concluserunt cum Am-
„basiatoribus Bohemorum, videlicet Pragen-
„sium, Orphanorum & Taboritarum. Inter
„quos adfuerunt ductores exercituum illius
„gentis, præsertim Procopius, quod solen-
„nis Ambasiata omnium Statuum regni ad
„Concilium Basileense venire debeat: post-
„quam per Concilium salvus Conductus in
„forma condicta ad eos remissus fuerit, quod
„sine mora fiet. Miro gaudio levatisque ad
„cœlum manibus hæc sacra Congregatio
„exhilarata est. Nam isti nostri Ambasiatores
„asserunt cum tanta charitate hoc negotium
„in

„ in Egra tractatum fore, & talia apud illos
„ Bohemos vidisse, & conjecturasse, ut maxi-
„ mam spem reductionis illorum merito con-
„ cipiant: & tandem se tenerrime amplectentes
„ cum lacrymis lætitiæ ex Egra discessisse: ipsis
„ Bohemis nostros rogantibus ut hoc nego-
„ tium quantocyus expediretur. Multa etiam
„ referunt in hujusmodi tractatu invenisse,
„ quæ si quis audiens non lacrymetur præ
„ gaudio, indicare se poterit Christo modi-
„ cum affici. De tribus aut quatuor articulo-
„ rum non videntur facere difficultatem: de
„ quarto, videlicet communionis sub utraque
„ specie, spes est quod sequentur Judicium
„ Concilii. Quis igitur jam audeat consulere
„ S. Vestræ quod in proposito dissolutionis
„ amplius perseveret? Quinimo si nunquam
„ indictum fuisset hoc Concilium, pro tanta
„ spe & necessitate in hoc loco modo indici
„ deberet. Quam laudabiliter ageret S. Vestra,
„ si dimissa Italia & omnibus rebus huc perso-
„ naliter se conferret: etiamsi necessarium fo-
„ ret vehiculo deferri. Custodia autem & de-
„ fensio patrimonii Ecclesiæ temporalis opti-
„ me per legatos & vicarios posset disponi, hoc
„ est verum patrimonium Ecclesiæ * lucrifa-
„ cere animas: Non enim Ecclesia est con-
„ gregatio lapidum & murorum. Non custo-
„ dem vos fecit Christus castrorum &
„ mœnium sed Pastorem animarum: pro-

 „ inde

* *Verum Ecclesiæ Patrimonium.*

,, inde quod magis necessarium est, & Chri-
,, sto charius, id in propria persona agendum
,, est, cætera per substitutos. Ita fecere Apo-
,, stoli: qui ut liberius intenderent prædica-
,, tioni verbi Dei, septem instituerunt qui
,, vacarent mensis & inferiorum rerum admi-
,, nistrationi. Audio per Dei gratiam de die
,, in diem melius convalescere S. Vestram: &
,, si pedester, ut dicitur, aliquas Ecclesias
,, nunc visitat, forsitan equester huc posset ac-
,, cedere: ad rem autem utiliorem & suo of-
,, ficio magis congruentem ire non posset
,, quam ad locum unde sperantur innumera-
,, bilia bona provenire. Rogitet aliquando S.
,, V. in quibus actibus Christus, cujus vicarius
,, estis, & B. Petrus, cujus successor, & alii
,, Apostoli & sancti Pontifices se excercuerint:
,, ipsis sicut officio succeditis, ita succedatis &
,, moribus; quod si forsitan eadem S. V. neque-
,, at huc venire, consulo ut pro tanto bono mit-
,, tat majorem partem reverendissimorum
,, dominorum Cardinalium Curiæ Romanæ:
,, & mandet Prælatis quibuscumque, ut huc
,, se conferant. Non retrahat neque impediat,
,, sicuti fama est, volentes venire, quin potius
,, ad huc veniendum alliciat. Credat S. V. mihi
,, quem solum charitas ad consulendum insti-
,, gat: nolite separari à membris vestris: fo-
,, vete filios tanquam gallina pullos sub alis
,, suis. Si forte nec aliquos velit destinare, sal-
,, tem unicum hoc verbum dicat *Placet ut fiat*

Ba-

„ *Basileense Concilium*; his enim diebus aliud
„ nuntiatum est, propter quod omnino S. V.
„ desistere debet ab ipsa dissolutione. Reve-
„ rendus Pater Dominus Archiepiscopus
„ Lugdunensis scripsit Concilio & mihi etiam,
„ qualiter Prælati Franciæ convenerunt in Bi-
„ turicensi civitate, & ibi post longam & exa-
„ ctam examinationem concluserunt, Con-
„ cilium esse hic legitime congregatum: ne-
„ cessariumque ut hic & nunc celebretur, &
„ ad id prælatos Franciæ debere venire. Moti-
„ va autem & rationes quibus moti sunt ita
„ concludere etiam destinavit huc, quorum
„ copiam puto per alios ad S. Vestram missam.
„ Quid igitur amplius S. V. moratur? Conata
„ est, quantum potuit, Nunciis, literis, & variis
„ modis retrahere Prælatos, laboravit pro viri-
„ bus ut hoc Concilium dispereat: Nihilomi-
„ nus ut videt indies magis augetur: & quo
„ major fit prohibitio, eo magis quilibet in
„ contrarium accenditur. Num jam hoc est re-
„ sistere voluntati Dei, cur provocatis Eccle-
„ siam ad indignationem? Cur irritatis popu-
„ lum Christianum? Dignemini obsecro ita
„ agere ut amorem favoremque non odium
„ gentium comparetis. Vehementer ubique
„ Gentes talia audientes scandalizantur. Non
„ permittat se S. V. à quoquam seduci, incu-
„ tiente forte timorem ubi timendum non
„ est: aut persuadente hoc non esse legiti-
„ mum Concilium. Scio me ostensurum

„ eandem S. V. si velim probare contrarium.
„ Sed melius est ut paululum ostendam verbis & prosim factis. Nam medicus infirmo
„ apponit Cauterium urens & sanat plagam.
„ Non potest medicina prodesse, nisi gustu
„ sit amara. Sub hac confidentia non verebor
„ patefacere veritatem, ut ea cognita S.
„ Vestræ sanctius sibi & Ecclesiæ consulat.
„ An hoc Concilium legitimum sit, ex
„ Concilio Constantiensi dependet: Si illud
„ verum fuit & istud. Nemo autem dubitare visus est an illud legitimum fuerit;
„ similiter & quicquid decretum est: Nam
„ si quis dixerit decreta illius Concilii non
„ esse valida, fateri necesse habet privationem olim Joannis factam vigore illorum
„ decretorum non valuisse: Si illa non valuit, nec Papæ Martini tenuit electio,
„ facto illo adhuc superstite. Si Martinus
„ non fuit Papa, nec S. V. est quæ per Cardinales ab ipso factos electa est: Nullius ergo magis interest defendere decreta illius
„ Concilii quam S. Vestræ. Et si quodcumque illius Concilii decretum revocetur in
„ dubium, eadem ratione poterunt revocari
„ & reliqua ejusdem Concilii decreta: hac
„ eadem ratione nec aliorum Conciliorum
„ decreta valebunt: quia qua ratione vacillat fides unius Concilii, vacillabunt reliqua
„ omnia juxta argumentationem B. Augustini & habetur IX. dist. cap. *Si ad scripturas.*

„ Er-

„ Ergo & fides & omnia Ecclesiæ sacramenta „ titubabunt, si de robore unius Concilii le„ gitime congregati dubitetur. Per Conci„ lium autem Constantiense fuit factum „ decretum *Frequens*, in quo statuitur quod „ primum Concilium fiat in quinquennium „ à fine illius, & aliud in septennium: à „ fine Concilii Constantiensis quinquennio „ elapso, celebratum est Papiense vel Senen„ se: à cujus fine elapso septennio cœptum „ est celebrari Istud. Ut quid ergo in Bulla „ dissolutionis inter alias causas exprimitur „ quod jam septennium est elapsum: cum „ necessario labi oporteat antequam possit „ celebrari: quia ista verba in septennium „ vel quinquennium significant secundum „ jura, ut omnes partes temporis sint ela„ psæ, & ut novissima dies expectetur: unde „ oportuit labi septem annos integros & com„ pletos antequam hoc Basileense Concilium „ incipere posset: sicut lapsum fuit integrum „ quinquennium antequam Papiense incipe„ retur. Sed dicet aliquis, oportuit prima die „ post septennium lapsum celebrari, alioquin „ expirat Concilium. Sed clare respondetur „ hoc non contineri in cap. *Freqens*, quod „ nisi prima die fiat, desinat posse celebrari: „ nec ex verbis nec ex mente hoc potest elici. „ Solum vult quod post septennium celebre„ tur, unde sive secunda sive tertia die, „ sive primo aut secundo aut tertio aut

,,quarto mense post septennium immedia-
,,tum celebretur, satisfit capiti *Frequens*. Ad-
,,veniente enim prima die, tunc incipit facul-
,,tas celebrandi, ante autem non. Post vero
,,non est prohibitum: nec obstat quod in cap.
,,*Frequens* ponitur verbum *in quinqennium im-*
,,*mediate, sequens*, quod etiam *in septennium*
,,videtur repetitum: quia non intelligitur
,,quod prima die præcise post septennium sit
,,necessarium: sed ideo posuit *immediate se-*
,,*quens*, ne intelligi posset de alio septennio
,,ulteriori quamquam illud de per se intelli-
,,gebatur: quia loquendo simpliciter de se-
,,ptennio intelligitur de proximo: sed fuit
,,positum ad majorem declarationem. Adde
,,plus, quod etiamsi in cap. *Frequens* fuisset
,,positum post septennium *immediate sequens*,
,,aliqua de iis dictionibus videlicet *statim, mox*,
,,*in continenti*, aut *confestim* seu similia ver-
,,ba, adhuc deberent intelligi cum quodam
,,temperamento vel aliquo temporis inter-
,,vallo: & quamprimum commode posset,
,,prout ista vocabula exponuntur per Jura
,,& Doctores. Ampliantur enim & restrin-
,,guntur secundum subjectas materias &
,,varias circumstantias rerum & negotio-
,,rum. Non est verisimile ullomodo quod
,,fuerit de mente statuentium, quod consi-
,,derata longitudine viarum, & difficultate
,,parandi se ad hujusmodi negotia, ac etiam
,,plurimis impedimentis quæ contingere

,,pos-

„possunt, voluerint restringere præcise „tempus ad primam diem: ita quod si „ea die non fieret de cætero fieri non pos„set. Nam si imus post istas subtilitates, „oporteret etiam quod fieret in primo „momento & in primo instanti post se„ptennium. Sed cum verba civiliter intelli„genda sint, hujusmodi intellectus est ni„mis absonus. Et si dicat aliquis, ergo „prorogari jubetur, quod prohibetur in „cap. *Frequens*. Iste qui sic arguit non se „intelligit, nec vim verborum. Non enim „prorogatur si incipiatur secundo vel tertio „mense: sed magis fit continuatio vel exe„quutio ejus quod est in facultate. Nam „licet in primo mense inchoatum non sit, „sed in secundo vel tertio, non per hoc con„cluditur quod in primo inchoare non po„tuisset: Verbi gratia, promitto Titio da„re centum post pascha, ante pascha non „possum exigi; sed post pascha possum sta„tim exigi: & licet non exigar non tamen „desino esse obligatus; & licet exigar in „secundo vel tertio mense, non propter „hoc intelligitur facta prorogatio: nec se„quitur quod in principio non potuissem „exigi: quod fieri non potuisset si facta esset „prorogatio. Item, de natura prorogatio„nis est quod fiat ante lapsum primi ter„mini: post vero non est prorogatio, „sed novæ indictionis dilatio. Et si dica-

 „tur,

„tur, ergo diu differri poterit? Responde-
„tur, quod in hoc standum est judicio Ec-
„clesiæ, quæ Consideratis diversis Circum-
„stantiis arbitrabitur tempus debitum. In ejus
„enim favorem & utilitatem hujusmodi fa-
„cultas celebrandi Concilia instituta est.
„Quid enim si in loco celebrandi Concilii
„adveniente termino supervenerit pestis vel
„obsidio, vel aliquid hujusmodi quod dura-
„ret per tres vel quatuor menses: nec Papa
„interim mutasset locum secundum for-
„mam capitis *Frequens*, & propter talia im-
„pedimenta Prælati non accederent prima
„die ad locum; aut si Prælati aliqui venien-
„tes ad Concilium caperentur in via; qui si
„capti non essent, fuissent in prima die &
„momento in loco? Nunquid propterea di-
„cendum est expirasse facultatem Concilii:
„& quod cessante impedimento Prælatis ve-
„nientibus Concilium celebrari non possit?
„Hoc certe esset valde absurdum, & nimis
„præjudiciale Ecclesiæ Dei. In casu autem
„nostro fuit satis probabilis causa, quare Præ-
„lati distulerint venire in Principio termini:
„quoniam appropinquante ipso termino,
„Papa Martinus die xx. Febr. defunctus est;
„propter quod Prælati merito poterant du-
„bitare de aliquo impedimento Concilii.
„Item, expectabant quod aliquis nomine
„Papæ illuc accederet, ne sine præsidente
„Apostolico frustra starent in loco. Legatus
„au-

„ autem qui ordinatus fuerat ad Concilium
„ cujus præsentiam homines expectabant,
„ antequam vellet ad iter se accingere, non
„ accessit tempore statuto ad Concilium sed
„ ad Nurembergam ad prosequendum exstir-
„ pationem Bohemorum, secundum Manda-
„ tum Papæ Martini, qui injunxit quod prius
„ illuc iret quam Basileam. Fuit etiam ipse Le-
„ gatus pluries requisitus in Nuremberga per
„ D. Imperatorem, ut iret Basileam pro Con-
„ cilio celebrando juxta facultatem sibi tradi-
„ tam: qui respondit nolle ire ante consensum
„ novi Pontificis. Ista ergo fuit causa retarda-
„ tionis Prælatorum. *Nec forte est multum im-*
„ *putandum Prælatis* QUI SUSPICABAN-
„ TUR QUOD PAPA MARTINUS NOL-
„ LET CONCILIUM: *Et timebant se pone-*
„ *re in iis involutionibus & contradictionibus:*
„ *& rationem timendi habebant ex iis quæ con-*
„ *tigerant in Concilio Senensi.* Multa etiam
„ tunc dicebantur quæ suspicionem facie-
„ bant. Scio mihi fuisse relatum quod non-
„ nulli dixerant me venisse in Alemaniam ad
„ disturbandum Concilium, Item, hoc fuit
„ de mente Papæ Martini, quod licet in Prin-
„ cipio Martii non inchoaretur Concilium,
„ non tamen expiraret facultas celebrandi
„ Concilii: ipse enim appropinquante ter-
„ mino Concilii voluit, quod prius irem
„ versus Bohemiam quam ad Concilium:
„ de quo etiam in Bulla Consistorialis disso-
„ lu-

„ lutionis fit mentio. Sed quid opus est aliun-
„ de hoc probari quam per literas Sanctitatis
„ Vestræ, ipsa in iis confectis XI. Kalend. Ju-
„ nii, & sic longe post terminum, quæ etiam
„ mihi fuerant præsentatæ per tres menses
„ post, mandat mihi quod expedito negotio
„ Bohemiæ, cujus finis expectatur in brevi,
„ dirigam gressus meos ad Basileam pro Con-
„ cilio celebrando: & ibi opportune provi-
„ deam juxta mihi injuncta & ordinata in
„ Concilio Constantiensi. Hoc etiam repe-
„ tit in Bulla facultatis dissolutionis, ap-
„ portata mihi per Dominum Parentinum,
„ cujus verba sunt hæc: CIRCUMSPE-
„ CTIONI TUÆ, *Ex quo in ingressu tuo ad*
„ *Alemaniæ partes nulli Prælati in Basilea*
„ *pro celebratione Concilii erant congregati,*
„ *dedimus in mandatis ut intera circa expe-*
„ *ditionem contra Bohemos hæreticos etiam*
„ *tibi commissam vacares: ac deinde ad ci-*
„ *vitatem Basileensem dicti Concilii locum*
„ *accederes: ut ibidem nostro & Ecclesiæ no-*
„ *mine præsideres.* Quid ergo hoc clarius?
„ Si quid dubium esset, ex hujusmodi teno-
„ re literarum aperte tolleretur. Et si dica-
„ tur nec Dominus Martinus, nec Domi-
„ nus Eugenius tales literas scribendo pote-
„ rant validare Concilium: quia esset pro-
„ rogatio quæ prohibita est per caput *Fre-*
„ *quens.* Respondetur, quod non est proro-
„ gatio sed exequutio ejus quod erat in facul-
„ tate,

„tate,seu declaratio quod necesse non sit præ-
„cise celebrare in Principio. Item, non
„est prorogatio, quia prorogatio fit ante
„terminum, non post. Post enim potius esset
„nova indictio: unde valeret quæstio no-
„viter indicta. Et si dicatur non potuit de
„novo indici: tunc objicitur, quando er-
„go de novo potuit indici Concilium Bono-
„niense? Et si dicatur quod nova indictio
„Concilii Bononiensis valuit, quia Basileense
„fuit per S. Vestram dissolutum, tunc ha-
„beo intentum: Si enim fuit dissolutum,
„ergo ante fuit Concilium, quia dissolu-
„tio præsupponit habitum. Sed si ante erat
„Concilium, tunc ut infra probabitur dissol-
„vi non consentiente Concilio. Quid ergo ad
„hoc potest responderi? Ad majorem etiam
„clarificationem; in ipsa die termini statuti
„vel ante Dominus Abbas Virgiliacensis,
„congregato ad hunc actum populo majoris
„Ecclesiæ, & certis aliis Prælatis & notabili-
„bus viris, fecit solennem protestationem,
„qualiter tempus advenerat Concilii cele-
„brandi & quod hoc ipso Basileam venerat,
„requirendo, ut de materiis ad Concilium per-
„tinentibus usque alii venirent, vellent insi-
„mul conferre & tractare: & de hoc extat pu-
„blicum instrumentum. Et infra mensem ve-
„nerunt Ambasiatores universitatis, Parisien-
„sis & incœperuut tractare de iis quæ ad Con-
„cilium pertinebant, scribendo etiam D. Im-

„pe-

„ peratori & aliis Dominis Alemaniæ, ut „ mitterent ad Concilium: quas literas tunc „ vidi. Nec obstat paucitas personarum: quia „ ubi est auctoritas, numerus magnus non „ requiritur secundum illud Christi: *ubi duo* „ *vel tres convenerint in nomine meo, ibi ego* „ *sum*: in qua auctoritate fundantur Conci- „ lia. Jam igitur S. V. luce clarius videt præ- „ dictam objectionem esse satis frivolam. Item. „ ad quid facta est dissolutio si non erat Conci- „ lium? Unde nullatenus est ambigendum „ quin Concilium fuerit legitimum & cano- „ nice congregatum. Et forsitan vix unquam „ legitur aliquod Concilium tot auctoritati- „ bus innixum, sicut istud per duo videlicet „ præcedentia Concilia Constantiense & Se- „ nense: & duos Romanos Pontifices confir- „ matum. Audio inter alia Romæ aliquos „ dicere me non potuisse vocare Prælatos ve- „ nire ad Concilium, quia in Bulla Domini „ Martini hæc clausula non erat adjecta. Ve- „ hementer admiror hoc objici: in primis non „ ego solus illos vocavi, sed ego & hi qui hic „ in Concilio convenerant. Mira res, Papa „ Martinus dabat mihi cum consilio Concilii „ facultatem exstirpandi hæreses, pacifican- „ di Regna, reformandi mores cujuslibet „ status Christianitatis: & audent dicere quod „ non poteram citare. Datur mihi potestas „ judicandi & condemnandi, & non habeo po- „ testatem citandi? Inquit Jurisconsultus, cui

„ com-

„ commissa est jurisdictio ea omnia commissa
„ videntur sine quibus illam expedire non po-
„ test. Quo modo autem prædicta omnia nisi
„ Prælati & alii huc venirent fieri possent?
„ Item, cur in capite, ego enim de jureju-
„ rando, ut dicitur, vocatus ad Synodum
„ veniam, si non possum vocari? A quo ergo
„ præsupponit vocandum, nisi à Concilio vel
„ eo qui Concilio præest? Item, tota distin-
„ ctio XVIII. non loquitur de alio, nisi quod
„ Episcopi vocati ad Synodum & non venien-
„ tes possunt excommunicari vel suspendi:
„ legant isti librum Conciliorum B. Isidori,
„ & reperient in pluribus Conciliis Prælatos
„ fuisse per Synodum vocatos.

„ *Nunc restat dicere an dissolutio valuerit.*
„ Iterum vereor loqui timens irritare S. Ve-
„ stram, sed charitas me cogit. Nam forsi-
„ tan S. Vestra credit dissolutionem valere,
„ & propterea in illa perseverat ex quo, cum
„ multa scandala possint contingere, re-
„ mordet me conscientia ne taceam. In pri-
„ mis caput *Frequens* videtur innuere quod
„ non: Nam si prohibetur prorogatio quod
„ est minus, multo magis dissolutio, quod
„ est plus: plus enim est auferre quam differ-
„ re: prorogando differtur, dissolvendo au-
„ fertur. Item, isti dicunt quod facile prædicta
„ constitutio capitis *Frequens* redderetur fru-
„ stratoria: quia ut primum inchoatum esset
„ Concilium, posset re infecta dissolvi, sicut
„ di-

„dicitur factum esse Senis: & nunc dicunt
„etiam S. Vestram sinistre & subreptitie in
„causa dissolutionis fuisse informatam. Di-
„cunt etiam prædictam dissolutionem evi-
„denter tendere in eversionem fidei & ruinam
„Ecclesiæ, & perturbationem populi Chri-
„stiani. Ergo fieri non posse nec parendum
„fore. Asserunt etiam prædictam dissolutio-
„nem fieri non potuisse obstante quodam
„Decreto Constantiensis Concilii, quod in his
„quæ pertinent ad fidem & exstirpationem
„schismatis, & ad reformationem Ecclesiæ in
„capite & in membris quemlibet cujuscum-
„que conditionis etiam Papalis teneri obedire
„statutis & ordinationibus & præceptis cu-
„juscumque Concilii generalis: & nisi obe-
„dierit puniatur, &c. Ecce posse statuere in
„aliquem, posse præcipere, posse punire non
„obedientem, signa sunt evidentia superio-
„ritatis in his in quibus statuit, præcipit aut
„punit. Teneri autem obedire & subjici ac
„parere signa sunt inferioritatis in prædictis
„casibus. Ergo in prædictis casibus, cum
„Papa, ut dicunt, sit inferior Concilio,
„quod etiam facto probatum fuit, (Nam
„propter unum de tribus casibus Concilium
„privavit Joannem, & propter alterum pri-
„vavit Benedictum,) non poterit Papa
„dissolvere Concilium: quia inferior in eo
„quo est inferior non potest solvere vel liga-
„re superiorem, ut in cap. *Cum inferior de*
„*majo-*

„ *majorit. & obedient.* cum similibus juribus, nec tollere legem superioris. Alioquin implicaret contradictionem: tenetur obedire, & non tenetur obedire, quia potest dissolvere. Quo modo autem obediret ordinationi vel statuto Concilii si illam ordinationem vel statutum potest tollere & annihilare? Concilium autem hoc congregatum est propter exstirpandas hæreses, faciendum pacem, reformandum mores: & in prima Sessione ordinavit & statuit ad ista debere intendi: & quod procurans impedire hoc Concilium, dissolvere, vel prorogare, vel mutare, severiter possit puniri & procedi tanquam contra turbatorem communis pacis, &c. Si autem dissolvi potest, constat quod non obeditur prædictæ ordinationi. Unde appareret hoc necessario fateri, quod si dissolvi possit, quod prædictum Decretum Constantiensis Concilii non valeat. Item, probatur hac alia ratione: Nemo dubitat si contra aliquem summum Pontificem ageretur de hæresi, quod ipse non posset Concilium dissolvere: quia si posset dissolvere, non posset judicari: quod esset contra caput *Si Papa* dist. XL. Ergo sicut in hæresi sic in aliis duobus Casibus: Isti enim tres parificati sunt per Concilium Constantiense, sicut cap. *Si Papa* in illo uno. Et ut prædixi facto Concilium Constantiense approbavit hanc senten-

,, tiam: quia propter ſchiſma privavit Petrum
,, de Luna, & propter deformitatem vitæ
,, privavit Joannem: Et ſi quæ jura reperiun-
,, tur quæ dicunt, Prima Sedes non judicatur
,, à quoquam: & Primam Sedem nemo ju-
,, dicat: & nemo ſibi dicit cur ita facis? intel-
,, ligenda ſunt his tribus caſibus exceptis: in
,, principio, de fide proviſum fuit per caput
,, *Si Papa*: in aliis duobus, per decretum
,, Conſtantienſe. Alioqui ſi ſine ulla exce-
,, ptione intelligeretur illud Prima Sedes, &c.
,, tunc cap. *Si Papa* XL. diſt. & prædictum
,, decretum Conſtantienſe eſſent falſa. Et ſi
,, caput *Si Papa* addidiſſet cauſæ hæreſis iſtos
,, duos caſus, nemo dubitaret de prædicta
,, ſententia. Sic etiam nemo debet dubitare de
,, decreto Concilii, quod factum eſt auctori-
,, tate Papæ, & repræſentat univerſalem Ec-
,, cleſiam. Et ſi dicatur in Conciliis intelligi-
,, tur excepta auctoritas Papæ: Reſpondeo,
,, illud verum eſt, quando perſona Papæ ſpe-
,, cialiter non includitur: ſed ſi ſpecialiter in-
,, cluditur, non poteſt excipi: quia ſaperet
,, contradictionem. Hæc dixi Beatiſſime Pa-
,, ter, Deus eſt mihi teſtis, cum diſplicentia
,, animi, ſed cogor ita dicere ut Sanctitas
,, Veſtra deſinat à prædicta diſſolutione, ne
,, contingant infinita mala in Eccleſia Dei. Si
,, Sanctitas Veſtra videret puram mentem
,, meam & mundam conſcientiam & inte-
,, grum animum quo talia ſcribo, oſculare-
,, mi-

„ mihi me ex nimia charitate, & proculdu-
„ bio me ut filium diligeretis. Dixi sæpe &
„ jam dico & protestor coram Deo & homi-
„ nibus; quod causa eritis schismatis, & in-
„ finitorum malorum, si non mutaveritis
„ consilium. Omnipotens Deus Sanctitatem
„ Vestram in virtuosi hominis prosperitate
„ conservet, cujus pedibus me humillime re-
„ commendo. Basileæ quinta Junii.

Sed ut ad harum epistolarum Analysim veniamus, multa quidem capiunt digna notatione, quorum aliqua summatim complectar. Et primo quidem Martinum V. etiam Concilii celebrationem magis in speciem quam ex rei veritate promovisse, atque Cardinalem Sancti Juliani, cum apprime morem & instituta Curiæ Romanæ calleret, valde refugisse Provinciam præsidendi Concilio Basileensi, sibi tum à Martino V. tum ab Eugenio delatam: eique prætulisse legationem pro Bohemis exstirpandis: quoniam sciret Curiam de more habere libera Concilia in speciem procurare, sed revera illa fugere & quantum potest implicare atque impedire, ut omnia Ecclesiastica negotia ab ejus nutu dependeant, & ne de Ecclesia in libertatem asserenda atque recuperando Aristocratico regimine tractetur. Unde prævidebat non posse serio hanc Basileensis Synodi celebrationem curari, quin in permultorum offensionem incurreret. Secundo memorat

exercitu Cacholicorum profligato à Bohemis, ſe tandem coactum fuiſſe id ſerio ſatagere quod in ſpeciem tractabat & contra expeditionem Bohemicam quam maxime cordi habebat, efficaciterque ſatagebat penitus deſerere. Itaque cum antea perfunctorie & dicis tantum cauſa res ad Synodi Baſileenſis celebrationem attingeret, in hoc unum ſtudium oportuiſſe incumbere, ut animos Catholicorum ex clade Bohemica & corruptiſſimis moribus Eccleſiaſticorum Germaniæ proſtratos atque irritatos in ſpem meliorem erigeret. Nam cum Romanæ Curiæ potius propoſitum eſſet Bohemos ferro exſciendere quam via Concilii generalis liberi erudire, hoc enim acta declarant, Dei providentia hac clade oſtendere voluit, officium eſſe Sacerdotum & Prælatorum potius armis ſpiritualibus & Conciliis quam ſapientia mundana & gladio materiali dare operam ad mactandos hæreticos: Cum ut ait Apoſtolus 2 Corinthiorum x. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Quandoquidem armis corpora trucidantur intellectus autem minime captivatur in obſequium Chriſti. Hercle Julianus in his epiſtolis eorum ſpeciem nobis non obſcure

ex-

Bulla Eugenius prætexebat Concilium Basileense non esse liberum: quia populi vicini infecti essent hæresi Bohemorum, & quod propter bella illuc non esset tutus accessus. Item, se propter hyemem & adversam valetudinem non posse Basileam venire: posse autem Bononiam, si eo transferretur Synodus. Ex quo inire possumus, hanc Bullam datam Romæ ante celebrationem 11. Sessionis Basileensis, puta mense Januario. Nam Sessio 11. habita est mense Martio. Hoc igitur erit quartum notabile. Quintum vero, multo pluris Bohemorum vicinorum totiusque Germaniæ unionem faciendam quam Græcorum remotissimorum: & ad summum illam absque ulla temporis prorogatione curandam: hanc vero intervallo unius anni cum dimidio. Sexto, narrat hunc prætextum Græcorum uniendorum *veterum Cantilenam* appellari: Profecto hac specie & Martinus V. & Eugenius IV. cum serio agendum esset de Ecclesia in capite & in membris reformanda, diem de die deduxerunt, atque reformationi illuserunt: quoniam longissimo temporis spatio ad Græcos longissime distantes evocandos opus erat: & intereadum ardor Patrum sedentium in Concilio frigescere incipiebat, quoniam unusquisque desiderio redeundi in patriam capiebatur: sicque Studium emendandæ melius Ecclesiæ

eva-

evanescebat in auras, ut factum est in Senensi Concilio. Sed apposite respondet Cardinalis Sancti Angeli, absurdissimum videri propter incertam reductionem Græcorum, longissimis ab Ecclesia Latina spatiis distantium, Germaniam deserere, quæ & proxima & intima est semperque Catholica & fidelis fuit Ecclesiæ Romanæ: Nam ratio dictat, ut propinquiori & majori periculo citius occurratur, nec Concilium dissolvatur prætextu Græcorum uniendorum. Saltem illud oportuit facere, & hoc non relinquere. Cæterum Cardinalis Julianus hanc Bullam de dissolutione Concilii minime vulgavit, sed quibusdam Prælatis duntaxat communicavit. Ex causis autem & Circumstantiis pro Synodi dissolutione eidem Bullæ insertis facile dignoscitur, istam Bullam ab aliis tribus, quas Eugenius Sessione XVI. revocare cogitur, longe differentem esse: de quibus infra proprio loco. Septimo observandum, Eugenium hac dissolutione Concilii attentata Patrum animos in Curiam Romanam gravius incendisse, & causam præbuisse decretis asperioribus, quæ alias non extitissent: unde Cardinalis Sancti Angeli utilissimum dat illi consilium, ut faveat, & gratificetur Concilio atque reformationi Ecclesiæ, & aliquos Prælatos notabiles eo mittat si ipsemet non possit ire. Octa-

vo, secunda Epistola Cardinalis Juliani ad Eugenium scripta est, postquam legati Concilii, missi ad invitandos Bohemos ut venirent ad Synodum, redierunt & significarunt Patribus, Bohemos petere salvum conductum, qui illis conscriptus est Sessione IV. in vigilia Sancti Laurentii Anno M CCCC XXXII. Nono, recte observat Patrimonium Ecclesiæ esse animas Christo lucrifacere: & Ecclesiam in lapidibus vivis non in muris, arcibus, aut aggeribus urbium consistere: & Papam constitutum esse à Christo Pastorem animarum, non custodem urbium vel castrorum: unde illum etiam atque etiam invitat ut sese Basileam conferat. Decimo, ex hac secunda epistola liquet, Ecclesiam Gallicanam, statim atque rumor percrebuit, quod Eugenius vellet Synodum Basileensem dissolvere, se congregasse Biturigibus, atque ibidem statuisse Concilium legitime congregatum esse Basileæ, illucque Prælatos Galliæ misisse, & inter alios Ambasiatores Universitatis Parisiensis: qui statim atque appulerunt cœperunt tractare de rebus quæ ad Concilium pertinebant, & Domino Imperatori cæterisque Prælatis & Principibus Germaniæ literas scripserunt. Et ita claret Gallicanam Ecclesiam bis congregatam fuisse Biturigibus tempore Synodi Basileensis, nimirum Anno M CCCC XXXII. & M CCCC

XXXIX.

XXXIX. in prima & ultima dissolutione Concilii ab Eugenio facta. Cæterum gesta Primi hujus Conventus Gallicanæ Ecclesiæ habentur inter Acta Synodalia Concilii Basileensis, multaque continent digna observatione, & inter alia *cladem quam Catholici à Bohemis acceperunt demonstrare, Deum suo inscrutabili judicio ostendere, monstruosos mores in clero & populo emendandos esse, &c.* Undecimo, Julianus Cardinalis disputationem contra eos instituit, qui in Curia Romana dictitabant Synodum Basileensem non esse legitimam, & tanquam versipelles pragmatici cavillos de apicibus Constitutionis Synodi Constantiensis sic instruebant, ut verba *septennii atque decennii* physice & metaphysice non moraliter interpretarentur: quod est prodigiosum: & multo magis dignum risu quam confutatione. Deus bone, quid non iniquitas & versutia sibi mentitur atque effingit? Duodecimo, explicat Decretum Sessionis IV. & V. Constantiensis de Concilii Auctoritate supra Papam, ostenditque locum habere in tribus casibus; nempe in causa fidei, schismatis, & reformationis Ecclesiæ in capite & in membris: Quoad primum casum, jam pridem *Can.* Si Papa *dist.* XL. *fuisse declaratum Papam hæreticum subesse judicio directivo & coactivo Ecclesiæ &*

Concilii: atque Patres Constantienses *idem statuisse in casu schismatis atque reformationis Ecclesiæ in capite & in membris*: Idque etiam in praxim misisse, tum erga Petrum de Luna, tum erga Joannem XXIII. ostenditque illa decreta IV. & V. Sessionis approbata fuisse à Martino V. & Ecclesia universali, sicut supra Capite tertio numero XXII. & XXIII. ostendimus.

VI. Verum enimvero, summam suasionis Archiepiscopi Tarentini & Colossensis Oratorum Eugenii ad Patres Basileenses atque responsionem eorumdem Patrum Basileensium ex Actis Synodalibus, quæ ad calcem Synodi Basileensis leguntur, expromere hicque adscribere libet: quoniam hæc summopere conducunt ad Historiæ Ecclesiasticæ cognitionem, neque hominum censuras extimescunt. Habetur autem in *Responsione Synodali Patrum de Auctoritate cujuslibet Concilii generalis supra Papam & quoslibet fideles*: *quodque D. Eugenius sine Concilii consensu non possit Concilium dissolvere*: sic enim inchoatur illa responsio. Cæterum Oratores Eugenii tum aperte non ausi sunt Patribus verba facere de dissolutione Concilii: sed monuerunt duntaxat Patres caverent diligenter ne schisma esset in corpore Ecclesiæ, ac certo futurum, graviaque scandala nascitura si manerent Basileæ. Ad quæ Patres respondent ex Apostolo IV. ad Ephesios *non esse* *con-*

contristandum Spiritum sanctum: Illos vero S. Spiritum contristare & à se repellere, qui operibus charitatis adversantur: opera charitatis esse, eaque summa, dare operam ut in Synodo legitime congregata per duos Pontifices Martinum atque Eugenium hæreses exstirpentur, omnes populi Christiani ad Ecclesiam Catholicam uniantur & accurate, quæ essent Christianæ & Catholicæ veritatis, edoceantur: bella inter Principes Christianos exorta sedentur: utque Ecclesia in capite & in membris reformetur: & antiqua disciplina, quantum tempora pati possunt, revocetur. Spem effulsisse omnibus Nationibus Christianis hoc in sacro Concilio Basileensi aut nunquam alias peragi posse. Ideoque Patres etiam atque etiam summum Pontificem exorant, ne dissolutione Concilii, quod hæc omnia bona facere paratum est, Spiritum S. contristare velit. Quodque ejus Oratores suadent dandam operam ne sit schisma in corpore, hoc ipsum de Eugenio rectius dici posse: quippe qui Synodum, quæ Ecclesiam Catholicam repræsentat, dissolutione Concilii conturbet & scindat: quod Concilium auctoritate duorum Conciliorum, Constantiensis nimirum & Senensis, atque etiam duornm Pontificum, Martini V. & Eugenii IV. congregatum est. Dehinc ad illa transeunt quæ Archiepiscopus Tarentinus pro munienda Papæ auctoritate supra Concilium proposuit, quæ ita concepta sunt.

» In

„ In primis, inquiunt, late Tarentinus „ explicat Jurisdictionem & potestatem Summi Pontificis, quod Caput sit, quod primas Ecclesiæ, Vicarius Christi & à Christo „ non ab hominibus vel Synodis aliis Prælatus & Pastor Christianorum, & ei datæ sint „ à Domino claves, & uni dictum sit, *Tu* „ *es Petrus*, & solus in plenitudinem potestatis vocatus sit: alii in partem solicitudinis, & multa ejusmodi, quæ cum vulgatissima sint, minime necessarium erat recensere. Ista plane fatemur & credimus, „ operamque in hoc Sacro Concilio dare intendimus, ut omnes eandem Sententiam „ credant. Et nihilominus ipsum Romanum „ Pontificem dicimus obedire teneri Mandatis, Statutis, Ordinationibus, ac Præceptis hujus sanctæ Synodi Basileensis, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, in his quæ pertinent ad „ fidem, ad exstirpationem schismatis, & „ ad generalem reformationem Ecclesiæ Dei „ in capite & in membris, quemadmodum „ declaratum extitit per Generale Concilium „ Constantiense, Catholicam repræsentans „ Ecclesiam: Cujus Catholicæ Ecclesiæ quemadmodum & Summi Pontificis æquum „ fuisset saltem paucissimis explicare potestatem. Quod cum non feceritis signum est, „ ut nos qui Concilium celebramus, aliquid „ saltem perfunctorie referamus. In primis

„ hoc

„hoc nos meminiſſe decet, Catholicam Ec-
„cleſiam illam eſſe cujus Confeſſio in Sym-
„bolo continetur: SANCTAM ECCLESIAM
CATHOLICAM: hujus Eccleſiæ Catholicæ
„tanta auctoritas eſt, ut ſola Chriſti Euange-
„lia illa dicantur quæ Eccleſia recipit. Plu-
„res enim de Apoſtolis etiam ſcripſiſſe dicun-
„tur Euangelia, ſed quia tantum quatuor
„approbavit Eccleſia, illa ſola & non alia
„venerantur. Ideo B. Auguſtinus in pleriſ-
„que locis aſſerit Euangelio non crederem,
„niſi me Eccleſiæ auctoritas commoveret:
„illa enim Sacra Scriptura dicitur quam Sa-
„cram declarat Eccleſia. Hujus Eccleſiæ
„determinationi Catholici omnes ſuas merito
„ſententias ſummittunt, & niſi ab ipſa ap-
„probentur Eccleſia Catholici eſſe non poſ-
„ſunt. Hæc ſancta Eccleſia tanto privilegio à
„Chriſto Salvatore noſtro, qui eam Sangui-
„ne ſuo fundavit, dotata eſt, ut eam errare
„non poſſe firmiter credamus. Hoc ſolum
„competit Deo natura, Eccleſiæ vero privi-
„legio. Præter autem Eccleſiam, nemini un-
„quam tale munus communi lege datum eſſe
„legimus: non Angelis, hi enim à principio
„errare potuerunt, & multi ex eis errarunt:
„non primis Parentibus, nam à Diabolo de-
„cepti ſunt: non hominibus, nam omnis homo
„mendax: non Summis Pontificibus, quo-
„rum nonnulli in hæreſes & errores lapſi
„eſſe dicuntur, & leguntur: Eccleſia ſola ſine
„ru-

„ruga, & ſine macula, illa eſt quæ errare
„non poteſt in iis quæ ad ſalutem neceſſaria
„ſunt. Utique Spiritus, qui mentiri non po-
„teſt, ſe cum ea permanſurum uſque ad finem
„ſeculi, & eam per Spiritum ſanctum in om-
„ni veritate docendam eſſe pollicitus eſt. In
„iſta regeneramur, roboramur, nutrimur &
„vivificamur: extra iſtam nec ſalvi eſſe, nec
„Deo placere poſſumus. Janua cœli eſt,
„per quam ſolum ad cœlum iter eſt. Sponſa
„enim Chriſti dicitur, & unica, & pul-
„chra, & ſine macula, & ſine ruga: Soror,
„Amica, Columba, formoſa, ſpecioſa,
„perfecta, Hortus concluſus, Fons ſigna-
„tus, Puteus aquarum viventium, ſuavis,
„mitis, & decora: & quæ merito Beatiſſi-
„ma prædicatur: pro ejuſque fortitudine &
„firmitate terribilis dicitur, ut caſtrorum
„acies ordinata. Hæc enim Mater & Magi-
„ſtra omnium fidelium, ac etiam Corpus
„Chriſti myſticum nuncupatur, cujus Ca-
„put ipſe Dominus Jeſus Chriſtus. Nec mi-
„rum ſi errare non poteſt, quæ Caput habet
„Chriſtum, Ductorem Spiritum ſanctum.
„Hujus tanta eſt auctoritas, ut qui contu-
„maciter ejus doctrinæ contradicere præ-
„ſumpſerit hæreticus eſſe convincatur. Quæ
„domus etiam *claves ſolvendi & ligandi* acce-
„pit a Domino. Hanc domum ſi quis corri-
„pientem corrigentemque contempſerit ſit
„tibi, inquit Dominus, ſicut Ethnicus &
„Pu-

„ Publicanus. Decuit quidem tantam Eccle-
„ ſiæ conferri poteſtatem, ut cum in omni-
„ bus homo obliquabilis ſit, & peccabilis,
„ ipſa eſſet in terris, cujus judicio, quod er-
„ rare non poteſt, quilibet ſubjiceretur: nec
„ ſolum Eccleſia Decreta & Sententiæ au-
„ thenticæ ſunt, & quibus irrefragabiliter
„ ſtari oportet; ſed etiam ejus facta & con-
„ ſuetudines ſe habent inſtar Sanctarum Scri-
„ pturarum. Sacræ enim Scripturæ & Conſue-
„ tudini Eccleſiæ par ritus, & idem utriſque
„ pietatis debetur affectus: Præteriſtis etiam
„ ſilentio Sacrorum Generalium Concilio-
„ rum auctoritatem, quorum notitia cum
„ omnibus fidelibus neceſſaria ſit, ideo de po-
„ teſtate eorum pauca perſtringere non erit
„ inutile. Iſtorum Conciliorum & Eccleſiæ
„ Catholicæ eadem videtur eſſe poteſtas. De-
„ finitum enim eſt in Concilio Conſtantienſi,
„ quod Synodus Generalis in Spiritu Sancto
„ legitime congregata Catholicam repræſen-
„ tat Eccleſiam, & poteſtatem à Chriſto im-
„ mediate habet. Idem etiam Martinus Papa
„ in ſuis literis Apoſtolicis ſententias quaſdam
„ Concilii Conſtantienſis interſerens expri-
„ mit. Quæcumque igitur proxime dicta
„ ſunt de auctoritate Eccleſiæ trahi ad gene-
„ rale Concilium quod illam repræſentat ne-
„ ceſſe eſt. Alioquin non recta eſſet repræ-
„ ſentatio, ſi eadem in repræſentante & repræ-
„ ſentato auctoritas non ineſſet. Et hoc ſolum
„ ſa-

„ satis foret ad probandum omnem Concilii
„ potestatem, nec alia probatione uti neces-
„ sarium videretur: utique cum major pro-
„ batio esse non possit quam ipsius Ecclesiæ
„ quæ errare non potest: Nihilominus pro-
„ pter ipsorum reverentiam aliquid amplius
„ referamus: audite quantæ auctoritatis sint
„ ipsa Concilia: quantamque reverentiam
„ non solum privatæ personæ, sed & sancti
„ Summi Pontifices ipsis Conciliis habuerint.
„ Inquit B. Cælestinus in Epistola ad Syno-
„ dum Ephesinam transmissa, ut refert Isi-
„ dorus in libro Conciliorum: Spiritus Sancti
„ testatur præsentiam congregatio sacerdo-
„ tum: certum est enim quod legimus, quia
„ nec potest veritas ipsa mentiri, cujus in E-
„ vangelio ista est sententia: ubi duo vel tres
„ congregati fuerint in nomine meo, ibi ego
„ sum in medio eorum. Quod cum ita sit, nam
„ nec huic brevi numero Spiritus Sanctus
„ deest, quanto magis nunc interesse credamus
„ in unum convenientium turbæ sanctorum?
„ Sanctum namque Concilium est pro debita
„ veneratione collectum, in quo nunc Apo-
„ stolorum frequentissimæ illius quam legi-
„ mus congregationis aspicienda reverentia est.
„ Et idem Isidorus in eodem libro in gestis
„ tertiæ Synodi Toletanæ inquit: unde valde
„ necessarium esse prospexi vestram in unum
„ convenire multitudinem, habens sententiæ
„ divinæ fidem, quæ dicit, ubi fuerint duo vel
„ tres

„ tres collecti in nomine meo ibi ego ſum in
„ medio eorum. Credo enim beatam Sanctæ
„ Trinitatis divinitatem huic ſacro intereſſe
„ Concilio, & ita tanquam ante conſpectum
„ Dei in medio veſtri fidem meam protuli. Ec-
„ ce B. Papa Cæleſtinus eam reverentiam ha-
„ bendam eſſe dicit Congregationi Concilii
„ quæ debetur Collegio Apoſtolorum: utpo-
„ te in cujus medio ipſe Chriſtus aſſiſtit, Spiri-
„ tus S. & ipſa Trinitas. Quodque Spiritus S. in
„ Conciliis judicet, & propterea Concilia er-
„ rare nequeant, teſtis eſt ſcriptura Actuum
„ Apoſtolorum, quæ dicit, *viſum eſt Spiritui*
„ *S. & nobis*. Etiam B. Hieronymus compa-
„ rat Concilii auctoritatem ſoli: ut ſicut ſol
„ ſuo ardore humores rivulorum deſiccat, ita
„ Concilium ſua auctoritate omnem contra-
„ riam ſuperat argumentationem: inquit enim
„ in fine Diſputationis contra Luciferianos:
„ Poteram omnes diſputationum tuarum ri-
„ vulos uno Eccleſiæ ſole ſiccare, de auctori-
„ tate Concilii generalis loquens. Item, Con-
„ cilii auctoritas auctoritati Sacræ Scripturæ
„ comparatur: quia ut ait B. Auguſtinus de
„ fide Chriſtiana, Catholica Eccleſia per
„ orbem diffuſa, tribus modis probatur exiſte-
„ re: quicquid in ea tenetur aut eſt auctoritas
„ ſcripturarum, ut traditio univerſalis Eccle-
„ ſiæ, aut certe propria & particularis inſtru-
„ ctio: ſed auctoritate tota conſtringitur uni-
„ verſali traditione majorum nihilominus

„ tota. Ecce par auctoritas & scripturarum &
„ universalis traditionis. Sed Concilia genera-
„ lia universali traditione & consensu fiunt &
„ recipiuntur. Videntur etiam generalia Con-
„ cilia„ ut Euangelia fore veneranda: ratio
„ enim propter quam B. Gregorius quatuor
„ prima Concilia ut Euangelia suscipit & ve-
„ neratur, ista est: quia dum sunt universali
„ consensu constituta, se & non illa destruit,
„ quisquis præsumpserit absolvere quos li-
„ gant, aut ligare quos absolvunt. Sed hæc
„ ratio eadem est in cæteris generalibus Con-
„ ciliis: universali enim consensu constituta
„ sunt. B. etiam Augustinus ad Januarium as-
„ serit generalium Conciliorum saluberri-
„ mam in Ecclesia auctoritatem esse: quæ si
„ saluberrima est, salutem continet. Ergo
„ qui auctoritati Concilii contradicit, contra
„ salutem agit. Quantam devotionem reve-
„ rentiamque Christi fideles Conciliis habere
„ debeant hinc patet, quod antequam esset
„ facultas in unum congregandi & celebrandi
„ Concilia, Christianitas in diversas hæreses
„ scissa est: postquam autem cœpta sunt Con-
„ cilia celebrari, omnia hæreseum atque er-
„ rorum caligo tanquam sole illustrante de-
„ pulsa est. Quod etiam Concilia statuendo
„ non errant, hinc liquide constat, quia omni
„ manent stabilita vigore, utique cum Spi-
„ ritus S. illa dirigat & inspiret: unde inquit
„ B. Isidorus, quod si quæ sint alia Concilia
„ quæ

„ quæ sancti Patres Spiritu Dei pleni sanxe-
„ runt, post istorum quatuor auctoritatem,
„ omni manent stabilita vigore. Hinc etiam
„ evidenter patet, quod Concilia errare non
„ possunt: quomodo quilibet summus Pon-
„ tifex, qui est Caput & Pastor Ecclesiæ, tene-
„ tur (prout in Concilio Constantiensi statu-
„ tum fuit) quam primum in summum Pon-
„ tificem electus est profiteri coram suis ele-
„ ctoribus fidem Catholicam tenere secun-
„ dum Traditiones Apostolorum, generalium
„ Conciliorum, (& post nominationem ali-
„ quorum Conciliorum subjicitur etiam)
„ necnon Lateranensis, Viennensis, gene-
„ ralium etiam Conciliorum: & illam fidem
„ usque ad unum apicem immutilatam serva-
„ re, & usque ad animam & sanguinem con-
„ firmare, defensare, & prædicare. Et ita pro-
„ fessus fuit felicis recordationis Martinus V.
„ ita etiam creditur D. Eugenium modernum
„ professum esse. Quilibet ergo Christianus
„ eandem fidem tenere obligatur quam Ec-
„ clesia Catholica & Apostolica tenet & ap-
„ probat. Quod si errare possent Concilia ge-
„ neralia in iis quæ ad salutem sunt necessaria,
„ profecto nimis vanum ac perniciosum esset
„ ad talem fidem populum Christianum as-
„ tringere. Quantæ etiam auctoritatis sint
„ Concilia generalia, hinc luculenter adverti
„ potest: quod ab eorum potestate nemo exi-
„ mitur, etiam summus Pontifex, ut extat

,, Concilii Constantiensis Decretum in hæc ,, verba : *Hæc sancta Synodus Constantiensis ge-* ,, *nerale Concilium faciens, &c. ordinat, sta-* ,, *tuit, definit, decernit, & declarat, ut se-* ,, *quitur* : Et primo quod ipsa in Spiritu Sancto ,, legitime congregata generale Concilium ,, faciens Catholicam militantem Ecclesiam ,, repræsentans, potestatem à Christo im- ,, mediate habet, cui quilibet cujuscumque ,, status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, ,, obedire tenetur in iis quæ pertinent ad fi- ,, dem, exstirpationem schismatis, & gene- ,, ralem reformationem Ecclesiæ Dei in ca- ,, pite & in membris, &c. Nec quisquam il- ,, lud dicere præsumat, quod aliquod gene- ,, rale Concilium legitime congregratum in- ,, validum sit aut errare possit : quia si hic per- ,, niciosus error admitteretur tota fides Ca- ,, tholica vacillaret: nec aliquid certi in Eccle- ,, sia haberemus : quia qua ratione errare po- ,, test unum, possent errare & reliqua : quo- ,, niam, ut inquit B. Augustinus, si ad Scri- ,, pturas sanctas admissa fuerint officiosa men- ,, dacia, quid in eis remanebit auctoritatis? ,, Quæ tandem de Scripturis illis sententia ,, proferetur, cujus pondere contentiosæ ,, falsitatis obtrectetur improbitas ? Quis ,, jam de potestate Concilii super omnes alias ,, potestates ambigere poterit tot irrefraga- ,, bilibus testimoniis comprobata ? Ex his ,, manifeste constat, auctoritates, quas de

,, sum-

„ summi potestate Pontificis allegastis, non
„ probare quo minus ipse Pontifex manda-
„ tis universalis Ecclesiæ & Concilii generalis
„ obedire teneatur: Sed id duntaxat pro-
„ bant, quod omnes singulares homines par-
„ ticularesque Ecclesiæ ipsi Pontifici obedi-
„ re debent, nisi in iis quæ huic sacræ Sy-
„ nodo & cuilibet alteri legitimæ congre-
„ gatæ præjudicium generarent. *Nam etsi sit*
„ CAPUT MINISTERIALE ECCLESIÆ,
„ *non tamen est major tota Ecclesia: alio-*
„ *quin errante Pontifice*, sicut sæpe contin-
„ git, & contingere potest, *tota erraret*
„ *Ecclesia, quod esse non potest.* Et si caput
„ sit & principalis Prælatus hujus corporis
„ mystici, est nihilominus intra corpus,
„ nec tunc caput esset. Corpus igiter hoc
„ totum continet, & ipsum quod dicitur ca-
„ put, & singula membra. Nec quis dicat,
„ quod ipsa pars principalis potentior est ac
„ dignior reliquo toto corpore & cæteris
„ membris: & per consequens illi potius obe-
„ diendum: quia ratio, experientia, & aucto-
„ toritas dictant contrarium. Ratio, quia re-
„ liquum totum corpus, etiam non compu-
„ tato Papa, secundum legem communem
„ errare non potest in his quæ sunt fidei:
„ alioqui si errare posset, cum certum sit
„ Papam errare posse, tunc & Papa & reli-
„ quo toto corpore errantibus, tota erra-
„ ret Ecclesia, quod esse non potest. Ex-

 „ pe-

„perientia etiam demonſtrat, quia ſæpe ex-
„perti ſumus & legimus Papam licet caput
„& principalem partem erraſſe, reliquum
„autem corpus, Papa etiam errante, erraſſe
„nunquam legimus. Propterea reliquum ſæ-
„pe totum corpus condemnavit atque depo-
„ſuit Papam tam ratione fidei quam morum.
„Sed nunquam Papa condemnavit aut ex-
„communicavit aut depoſuit reliquum to-
„tum Eccleſiæ corpus: licet ergo tam Papa
„quam Eccleſia claves habeant ligandi atque
„ſolvendi, Papa tamen nunquam in totam
„Eccleſiam claves ligandi atque ſolvendi
„exercuit: Eccleſia autem ſæpenumero in
„Papam. Auctoritas etiam Scripturæ Euan-
„gelicæ idem probat: nam hoc quod dixit
„Chriſtus, *ſi peccaverit in te frater tuus dic Ec-*
„*cleſiæ*, & *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi*
„*ſicut Ethnicus & Publicanus*, omnes homi-
„nes comprehendit, & quod Petrus & ejus
„Succeſſores illa auctoritate comprehendan-
„tur, oſtendit Paulus qui in faciem reſtitit
„Cephæ coram omnibus. Eccleſiæ enim di-
„xiſſe videtur qui coram omnibus dixit.
„Quoad Succeſſores Petri jam ſupradictum
„eſt, qualiter ſæpe eorum peccata dicta fue-
„rint Eccleſiæ, & ab Eccleſia punita: & qui
„non audierunt Eccleſiam fuerunt habiti ut
„Ethnici & Publicani, ut legitur de Anaſtaſio
„& Tiberio. Probat hoc etiam auctoritas
„univerſalis Eccleſiæ, quæ non poteſt er-
„rare

„ rare ita definientis in Concilio Constan-
„ tiensi, quod peccata Pontificum circa fidem
„ vel schisma vel mores possunt dici Ecclesiæ,
„ cujus præceptis & ordinationibus tenentur
„ obedire, & si obedire contempserint, con-
„ dignæ pœnitentiæ possunt subjici, & ad alia
„ juris remedia recurri: & per consequens,
„ possunt excommunicari: quo facto, ut
„ Ethnici & Publicani habebuntur. Hoc
„ etiamsi pluribus aliis rationibus posset com-
„ probari, satis est auctoritatem universalis
„ Ecclesiæ adducere: ipsa enim errare non po-
„ test: & quicquid determinat scripto, aut
„ consuetudine universaliter facit, ejusdem
„ est reverentiæ & auctoritatis cujus Sacra
„ Scriptura. Unde si in Euangelio reperire-
„ mus scriptum Decretum illud Constan-
„ tiensis Concilii, quod Papa tenetur obedire
„ Concilio, &c. hæreticum esset hoc revo-
„ care in dubium: Sic & hæreticum est, si
„ quis illi Decreto contumaciter contradicat.
„ Et quia ad alia nostra festinat Oratio,
„ omnes Argumentationes quæ fieri possent in
„ contrarium hac unica auctoritate Ecclesiæ
„ veracissime confutamus. Ita B. Hierony-
„ mus post longam disputationem confundit
„ atque convincit Luciferianos, dicens: po-
„ teram omnes tuarum propositionum rivu-
„ los hoc uno Ecclesiæ sole siccare: de au-
„ ctoritate Cocilii loquens. Qualecumque
„ ergo nomen dignitatis aut potestatis de

 „ Pa-

„ Papa ſcriptum invenitur, ad particulares
„ quoſcumque homines & ſingulares Eccle-
„ ſiaſticos referendum eſt, non ſupra Uni-
„ verſalem Eccleſiam. Ita ut potius Papa Ec-
„ cleſiæ, quam Eccleſia tota Papæ obedire
„ cogatur. Nam etſi Papa major ſit in Eccle-
„ ſia; non tamen major eſt tota Eccleſia, uni
„ autem quare dictum eſt, *Tibi dabo claves*
„ *regni cælorum*, Sancti Doctores exponunt,
„ ut unitatem deſignaret Eccleſiæ: & ideo
„ ab unitate exordium proficiſcitur, ut Ec-
„ cleſia Chriſti una eſſe demonſtretur, & Pe-
„ trus quando claves accepit, ut dicit Augu-
„ ſtinus, Eccleſiam ſignificavit: Nec pute-
„ tis quin Eccleſiam claves habeat & impe-
„ rium ſuper omnes: quod ideo ſunt multi
„ Principes contra Philoſophicum dictum:
„ Entia nolunt male diſponi: pluralitas prin-
„ cipantium mala: unus eſto Princeps: Ipſa
„ enim Eccleſia unus eſt Princeps, & unitati
„ fidelium non ſingulis hæc Juriſdictio à Do-
„ mino conceditur: & ideo ab uno incipere
„ voluit, ut perfectam unitatem atque una-
„ nimitatem deſignaret: quia unitas Eccleſiæ
„ multo major eſt atque perfectior quam uni-
„ tas unius. Regis aut Imperatoris terreni.
„ Hic enim & errat & in varias Sententias at-
„ que contrarias ſæpe ſcinditur: Eccleſia au-
„ tem nec errat, nec ſibi ipſi contradicit. Nec
„ comparandum eſt corpus Eccleſiæ aliis poli-
„ ticis corporibus Civitatum & Univerſitatum:
„ quia

„ quia in medio hujus Corporis eſt Chriſtus
„ qui ipſum regit ne erret : alia autem poli-
„ tica corpora humanis & variis voluntatibus
„ gubernantur. Neque in hac materia con-
„ gruit allegare errorem illorum ſecundum
„ B. Thomam qui ſe ſubducere nituntur ab
„ obedientia Petri, Succeſſorem ejus Roma-
„ num Pontificem univerſalis Eccleſiæ Pa-
„ ſtorem non recognoſcentes : quoniam de
„ ſingularibus Eccleſiis & Perſonis id intelli-
„ gendum eſt : non de Univerſali Eccleſia,
„ quæ ſæpe obedientiam juſtis ex cauſis Ro-
„ manis Pontificibus ſubſtraxit, ut Marcel-
„ lino, Anaſtaſio, Liberio, Joanni XII. Be-
„ nedicto IX. Benedicto XIII. Joanni XXIII.
„ Progredientes deinde ad materiam Concilii,
„ dicitis quod ſanctiſſimus D. Eugenius ra-
„ tus hæreſibus, bellis, ac deformitatibus,
„ ſine SS. Patrum & Principum aſſiſtentia
„ obviari non poſſe, Concilium Baſileenſe
„ ex Domini Martini Papæ felicis recorda-
„ tionis auctoritate per Senenſe Concilium
„ promulgatum, atque ejuſdem Martini
„ juſſione ſtabilitum, poſt ipſius obitum &
„ Suæ Sanctitatis Aſſumptionem robur ha-
„ bere voluit & proſequutionem : ratum
„ & gratum per ſuas Apoſtolicas Bullas
„ gerens quicquid poteſtatis in ea re dile-
„ cto Eccleſiæ filio Juliano S. Angeli Dia-
„ cono Cardinali S. Sedis Apoſtolicæ Legato,
„ per Prædeceſſorem ſuum collatum fuiſſet.

„ Fatemini ergo & bene Concilium hoc legi-
„ time congregatum: quia ſtabilitum fuiſſe
„ dicitis auctoritate Apoſtolica, & per Con-
„ cilium Senenſe, & roboratum per D. Eu-
„ genium. Et quia facultas data præfato
„ Legato circa proſequutionem Concilii ra-
„ tificata extitit per ipſum D. Eugenium mo-
„ dernum, optime veritatem narraſtis Ita
„ enim fuit ut dicitis. Quo igitur pluribus au-
„ ctoritatibus ſtabilitum fuit, & quo plures
„ neceſſitates illud celebrari ſuadebant, eo mi-
„ nus decuit illud perturbare & conari diſſol-
„ vere. Et quidem pro tot neceſſitatibus non
„ ſolum Concilium alias indictum perſevera-
„ re debebat, ſed etſi indictum non fuiſſet de
„ novo debuiſſet indici. Propterea nemo eſt
„ qui non vehementer admiretur tam ex
„ abrupto & ſine cauſa hujusmodi diſſolutio-
„ nem eſſe attentatam.

Hæc Synodalis reſponſio ſcripta & vulgata eſt à Patribus Baſileenſibus Nonis Septembris Anno Domini M CCCC XXXII. inter alia autem quæ obſervatu digna exhibet, eſt Papam eſſe caput Miniſteriale Eccleſiæ, non majorem Eccleſia, ſe ejus membrum, adeo ut corpus Eccleſiæ totum contineat, puta ipſum caput & ſingula membra: quare illum eſſe caput nihil aliud ſignificat, quam eſſe primum & principalem Prælatum corporis myſtici Eccleſiæ: *quia Papa major eſt in Eccleſia, non major tota Eccleſia.* Certe memini Do-

Doctores Antiquiores facultatis Parisiensis, cum disputaretur utrum Papa esset caput Ecclesiæ, solitos dicere, *Papam esse quidem primum caput in Ecclesia, & solum Christum esse caput Ecclesiæ*: quod Patres Basileenses hic innuunt. Alterum notabile est, responsio ad hoc argumentum, scilicet, pluralitatem principantium malam esse. Recte enim Patres opponunt *Ecclesiam unum esse principem: atque Dominum nostrum claves & jurisdictionem unitati fidelium non singulis concessisse: eamque ob causam ab uno dandi principium fecisse cum Petrum alloquutus est*: Idque ut perfectam unitatem atque unanimitatem designaret: addunt insuper unitatem Ecclesiæ multo majorem esse & perfectiorem quam unitatem unius regis aut imperatoris terreni: qui sæpe errat, & in varias contrariasque sententias scinditur: Ecclesia autem non errat, nec sibi ipsi unquam contradicit, quia in medio corporis Ecclesiæ Christus habitat, qui eam regit ne erret. Tertio, ad argumentum S. Thomæ de schismate & errore illorum, qui se subducere conantur ab S. Apostolicæ obedientia, dogmatice quidem respondent, hoc intelligi de singularibus personis & particularibus Ecclesiis quæ subsunt Pontifici Romano: non de universali, cui Romanus subjicitur Sessione IV. & V. Synodi Constantiensis. Cæterum ferme in principio hujus responsionis Synodalis legi-

gitur Colossensem Archiepiscopum Patribus Basileensibus objecisse, quod impossibile videretur simul de Ecclesiæ principatu & moribus reformandis disputare: Quæ objectio indicat clarissime, quam Curiæ Romanæ grata sit memoria & propositum Ecclesiæ emendandæ: & quibus non artibus illud disturbare aut implicare consuescant. Hæc autem objectio plane puerilis, & jampridem soluta est in Constantiensi Synodo, ubi & de Ecclesiæ principatu & de Ecclesiæ moribus reformandis actum est Sessione IV. V. & XL. quas videbit lector supra in Historia Synodi Constantiensis.

VII. Porro dum hæc agerentur varii Doctores varios lucubrarunt tractatus de potestate Concilii supra Papam; atque inter alios Abbas Panormitanus explicavit *Cap. Significavit, de electione & electi potestate.* Joannes Patriarcha Antiochenus opusculum edidit, quod extat inter Acta Synodalia Concilii Basileensis. At Nicolaus Cusanus tres doctissimos libros de Concordantia Catholica scripsit, qui sunt instar officinæ refertissimæ totius antiquitatis, disciplinæ, ac regiminis Ecclesiæ: nihil enim anteactis neque nostris etiam temporibus doctius ea in re potest desiderari, si modo illi libri emendati & correcti edantur. At Cusanus spe Cardinalatus, quem à successore Eugenii Nicolao V. emeruit, tandem ad Curiæ Romanæ partes transmigra-

vit:

vit: nequetamen libros ſuos de Concordantia retractavit, quicquid dicat Bellarminus, in quam rem infra plura dicemus. Nunc enim animus eſt ſeriem Hiſtoriæ continuare.

VIII. Seſſione III. die XXIX. Aprilis MCCCCXXXII. Patres edunt Monitorium ad obſecrandum & obteſtandum Eugenium, niſi turbare ceſſet Baſileenſe Concilium, tum à ſe ipſo, tum à Martino V. indictum & convocatum, tandem de manifeſtiſſima Eccleſiæ ruina & contemptu Decretorum Synodi Conſtantienſis accuſatum iri: maxime vero, quod capite *Frequens* Seſſione XXXIX. Conſtantienſis Synodi nominatim cautum ſit, ne Romanus Pontifex locum futuro Concilio habendo idoneum ſine ipſius Concilii approbatione deligat: quanto ergo minus poteſt Baſileenſem Synodum legitime indictam & congregatam literis Apoſtolicis duorum Pontificum, Martini ſcilicet atque Eugenii, Patribus inconſultis atque invitis diſſolvere aut alio transferre? Quocirca hac eadem Seſſione Patres Seſſionem IV. & V. Concilii Conſtantienſis de Concilii Auctoritate ſupra Papam iterato inculcant: cujus vi ac virtute monent, citant, atque interpellant Eugenium cum Cardinalibus, qui tum in Curia Romana degebant, quatenus extremis Eccleſiæ neceſſitatibus ſuccurrant: Concilio Baſileenſi faveant: ac intra trimeſtre ſpatium ab intimatione præſentium ſeſe ad ſacrum

Con-

Concilium Canonico cessante impedimento conferant, alias obtestantur se Ecclesiæ necessitatibus provisuros, quemadmodum Spiritus sanctus, qui Synodis legitime congregatis præest, dictaverit. Verum illud trimestre spatium pro trina & canonica monitione præcise atque peremptorie assignant. Insuper decernunt, dissolutionem aut translationem Synodi invito Concilio nullo modo fieri posse. Cæterum in hujusmodi monitionibus & legationibus ad Eugenium obeundis, integer solidusque annus cum decem mensibus magno Ecclesiæ atque omnium bonorum luctu absumptus est quoniam hac ratione tempus opportunum emendandæ Ecclesiæ effluebat, & hac temporis intercapedine Patres fatigabantur, atque à rebus necessariis tractandis abducebantur, tempusque utile rebus agendis in superfluis & inutilibus conterebatur, quod valde lugendum.

Actione IV. XII. Calend. Julii M CCCC XXXII. conceditur Bohemis salvus conductus ut ad Concilium veniant & libere ab eodem recedant cum quacumque voluerint securitate. Nam ut supra monui Cardinalis Sancti Angeli, qui Legatus fuerat Martini V. in expeditione contra Bohemos cum oculis suis vidisset exercitum Catholicorum à Bohemis fusum fugatumque, hocque malum armis

mis & bello irritari atque exacerbari non ſanari, aliam viam tentandam cenſuit: unde ipſi Patres Baſileenſes Oratores ſuos miſerunt ad Bohemos, ut illos ad unionem invitarent, atque etiam ad Legatos ſuos mittendos ad Concilium, quod Bohemi ſibi perſuaderi paſſi ſunt, & Articulos ſuos pro pace & concordia ineunda miſerunt ad Patres quos infra exſcribemus.

Eadem Seſſione Patres occurrunt fabricis Oratorum Eugenii & aliorum hominum, qui à nonnullis Prælatis clanculum promiſſionem & juramentum extorſerant, ne ſe Baſileam ad Concilium conferrent: itaque declarant neminem teneri abeſſe à Synodo in vim ejuſmodi ſacramenti.

Item, ſanciunt ut cuncta geſta Synodalia Bulla Concilii ſub plumbo expediantur. Similiter Papam quandiu ſtabit Concilium non poſſe novos creare Cardinales: & ſi quos forte crearit, non poſſe illos publicare: quo medicamine Patres obviam ire voluerunt ambitioni plurimorum, qui deſiderio Cardinalatus ab Eccleſiæ partibus ad Curiæ Romanæ ſtudia ſecedere potuiſſent. Præterea gubernationem Avinionenſis Civitatis Cardinali S. Euſtachii deferunt. Sed venio ad Articulos Bohemorum qui extant inter Acta Synodalia Concilii hoc titulo.

Ar-

Articuli oblati Concilio ex parte regni Bohemiæ, Marchionatus Moraviæ, &c. Anno Domini MCCCCXXXIII. in festo S. Tiburtii.

HOs Articulos Paternitatibus Vestris offerimus, quatenus intuitu optandæ cunctis mortalibus pacis & unitatis, velitis ipsis in hac forma subscripta vestrum præbere consensum, ut libere teneantur, doceantur, & irrevocabiliter observentur in regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ ac locis eis adhærentibus in hac parte.

Primo, ut Communio divinissimæ Eucharistiæ utilis & salubris sub utraque specie scilicet panis & vini universis Christi fidelibus in regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ ac locis eis in hac parte adhærentibus constitutis per sacerdotes libere ministretur.

Secundo, ut omnia peccata mortalia & præsertim publica per eos quorum interest rationabiliter & secundum legem Dei cohibeantur, corripiantur, & eliminentur.

Tertio, ut Verbum Dei à Sacerdotibus Domini & Levitis idoneis libere ac fideliter prædicetur.

Quarto, quod non liceat Clero tempore Legis gratiæ super bonis temporalibus seculariter dominari.

Ipsius autem quam utrinque diutine optavimus unionis tenorem offerimus in hac forma: Parati sumus uniri & esse unum modo quo omnes Chri-

Christiani fideles uniri secundum legem Dei obligantur, & adhærere & obedire quibuscumque nobis legitime præfectis in omnibus Ecclesiasticis, quæcumque nobis secundum legem Dei mandaverint. Quod si quicquam Concilium, Papa aut Prælati, quod à Domino prohibitum est, determinaverint faciendum, aut facere jusserint, vel quod in Canonæ Bibliæ scriptum est, præterierint aut præterire mandaverint, cum Canones tales dicant execrabiles & anathema obedire, non obligabimur nec obediemus. Hæc offerimus vobis inter nos & vos, ut supponimus concludenda: expeditis nostris quatuor articulis secundum judicem parte ex utraque concordatum: cujus sententiam & judicium etiam in futurum emergentibus volumus ab omnibus acceptari.

Præterea istud per Ambasiatores nostros tandem pro finali unione facienda mittendos volumus exigente & urgente æquitate propter observationem & confirmationem pacis & unitatis obtinendæ, & unione facta Concilium suis patentibus literis præcipiat omnibus Primatibus, Archiepiscopis, Regibus, & Principibus, & universis, utriusque status sibi subjectis, quatenus nos & nobis in hac parte adhærentes & adhærere volentes, amplius palam vel occulte hæreticare, aut quovis modo infamare aut etiam hostiliter invadere non præsumant propter aliquem dictorum articulorum, & præsertim propter primum, quem

asserimus & asserere proponimus Dominico cadere sub præcepto usque ad discussionem finalem, mutuam & concordem per Concilium & nos, secundum sententiam judicis in Egra condictati, circa difficultates prædictorum Articulorum, si quæ occurrerint fienda. Nam illius æquissimi judicis legibus & decretis optamus Domino dispositore in Concilio sedentis incorporari fideliter ad reformationem totius Ecclesiæ in capitibus, artubus, & membris. Quam quidem sententiam, ut veridico didicimus relatu, proposuit Concilium circa reformationem Ecclesiæ atque spopondit.

*Insuper ut litium & jurgiorum inter nos & * Conicolas nostros materia radicitus evellatur circa unionem inter nos & Concilium celebrandam istud volumus per Nuncios nostros ad Concilium mittendos obtineri, ut facta unione ipsum Concilium modis & hortamentis congruis scribat, indicat, & efficiat quantum in eo est, quatenus omnes & singuli sacerdotes, cujuscumque præeminentiæ aut dignitatis existant in eisdem Regno & Marchionatu, præsertim qui ipsos articulos nondum in effectu observarunt, queant cum honore sui observare, & valeant libere ac fideliter exequi & amabiliter observare & docere. Nam sic in sancta veritate uniti erimus, nunc gratiæ divinæ participes, & in futuro visionis ipsius jucundæ consortes, Amen.*

Por-

* Forte *Regnicolas.*

Porro tribus potiſſimum de cauſis iſtos articulos huc inſerendos putavi: primum, quia ſpectant ad Synodi Baſileenſis Hiſtoriam: deinde, quoniam celebris illorum facta eſt mentio ſupra in ſecunda Epiſtola Cardinalis Juliani ad Eugenium: tertio, ut omnes cognoſcant qua in re tum Bohemi differrent à Catholicis, & quam eo tempore facilis eſſet concordia ſi Curia Romana voluiſſet: nam Patres Baſileenſes hanc concordiam Bohemorum cum Eccleſia Catholica facilem judicaſſe non obſcure indicat idem Cardinalis Julianus, cujus hic verba iterare non gravabor. *De tribus aut quatuor Articulorum non videntur facere difficultatem, de quarto videlicet communionis ſub utraque ſpecie, ſpes eſt quod ſequentur judicium Concilii, &c.* Quem hic vocat quartum Articulum primus eſt & præcipuus, in quo Bohemi inſtabant, pro quo etiam Maximilianus Imperator certavit in Tridentino Concilio anno M CCCCC LXIII. Secundo de puniendis peccatis mortalibus ſpectabat ad reformationem Cleri: qui quidem propter immunitates Ordinis Eccleſiaſtici impune ſcortbatur, & alia ejuſmodi patrabat ſcelera, quorum ipſemet Cardinalis Julianus cum magno horrore meminit, præſertim in priore Epiſtola ad Eugenium. Quartus ſimiliter Articulus, de auferendo domino temporali Clericis eo etiam tendebat; quoniam ratione hujus Dominii Ec-

clesiastici impune peccabant, nec à quoquam corrigi poterant, cum essent supremi Domini temporales, idque magno erat scandalo. Itaque Bohemi malo huic remedium aliquod adferri flagitant, & merito: quod remedium non obscure demonstratur à Cardinali Juliano, dum memorat, *verum patrimonium Ecclesiæ esse lucrifacere Christo animas: neque Ecclesiam esse congregationem lapidum, murorum, &c. Neque Christum fecisse Petrum custodem castrorum, mœnium, & terrarum, sed Pastorem animarum, &c.* Non autem repugnabant Bohemi, quin Ecclesiastici uterentur proventibus bonorum temporalium, essentque usufructuarii, sed tantum de supremo dominio querebantur, quod Asylum esse videbatur sceleratis Clericis. Si hæc disputatio ante Gregorii VII. tempora nata fuisset, facilem credo exitum & concordiam habuisset ex disciplina & consuetudine primitivæ Ecclesiæ: sed innatum est Curiæ Romanæ, ut sua jura temporalia, & absolutam Monarchiam, patrimonio Christi & saluti animarum, id est, jura humana legi divinæ anteponat: idque in causa fuit, ut tot schismata & hæreses extiterint, continuarint, & incrementum magnum indies cœperint.

Sessione v. v. Idus Augusti, MCCCCXXXII. Nicolaus Amici, Licentiatus in facultate. Theologica Parisiensi creatur Procura-

ra-

rator aut Syndicus in causa fidei, multique alii Officiarii Concilii cooptantur à Patribus.

Actione VI. die VI. Septembris ejusdem anni Promotores Concilii petunt à Patribus ut Eugenius declaretur contumax, propterea quod mandatis Concilii & interpellationi sibi factæ Sessione III. minime paruerit.

Actione VII. die VI. Novemb. M CCCC. XXXII. edicunt, si forte stante & continuante Concilio Sedem Apostolicam vacare contigerit, ne procedatur ad electionem Papæ extra Concilium: Item, ne Papa de beneficiis Cardinalium atque aliorum Prælatorum, qui erant in Concilio, disponere valeat.

IX. Actione VIII. XV. Calend. Januarii hoc est die XVIII. Decembris, M CCCC XXXII. decernunt unicam esse duntaxat Ecclesiam sanctam Catholicam, Sponsam Christi: atque unitatem nunquam admittere divisionem: ac proinde unicum & solum esse posse generale Concilium Ecclesiam Catholicam repræsentans, Basileæ congregatum: quod quidem in vim & robur Decretorum Constantiensis & Senensis Concilii a Martino V. & Eugenio IV. indictum est. Quocirca quicumque hoc stante Concilio aliam congregationem sub nomine generalis Concilii habere aut facere præsumpserit, non fore Concilium, sed factiosum schis-

maticorum conventiculum. Itaque obtestatione divini Judicii quod Chore, Datan, & Abiron primis auctoribus schismatis contigit, necnon etiam sub pœnis contra schismaticos à jure latis, sancta Synodus omnes Christianos Principes admonet, cujuscumque sint status, aut dignitatis, etiamsi Papalis, Imperialis, aut Regalis, eisque districte præcipit, ne aliam congregationem sub nomine generalis Concilii facere aut congregare præsumant. Insuper quoque declarat, omnes personas Ecclesiasticas etiam S. E. R. Cardinales, aut cujuscumque alterius gradus, status vel conditionis aut dignitatis existant, quæ sese Bononiam vel quemcumque alium in locum pro celebratione Concilii contulerint, ipso facto sententiam excommunicationis, inhabilitationis, privationis omnium beneficiorum ac dignitatum incurrisse.

Sessione IX. die XXII. Januarii, M CCCC XXXIII. Sigismundus Imperator ad Synodum Basileensem accedit: eique Patres ingentes habent gratias quod tantam de Ecclesia & Concilio curam gerat: quem propterea tutelæ Concilii adversus censuras quas Eugenius potuisset in illud distringere adducunt. Et ita patet, non obstante dissolutione Concilii ab Eugenio attentata, Synodum Basileensem majus indies cœpisse incrementum. Jam supra monui Oratores Parisiensis Academiæ, quamprimum Basileam appulerunt, scri-

pſcripſiſſe ad Imperatorem & alios Germaniæ Principes, ut eos ad roborandum Concilium invitarent.

Seſſione x. XIX. Februarii ejuſdem anni Promotores Concilii Eugenium iterato accuſant contumaciæ, eo quod vadimonium trium menſium Seſſione III. ſibi condictum obire detrectaſſet.

Seſſione XI. v. Calend. Maji, MCCCC. XXXIII. habita ratione cavillationum quæ in Curia Romana texebantur contra Caput *de frequenter habendis Conciliis generalibus*, juxta Seſſionem XXXIX. Synodi Conſtantienſis (quas cavillationes Cardinalis Julianus ſecunda Epiſtola ad Eugenium propoſuit atque diſſolvit) Patres amplius & clarius memoratum Decretum explicant: decernendo, ſi forte Pontifex negligat aut detrectet ſingulis decenniis convocare & celebrare Synodos cum effectu: ut jus convocandi Concilia devovatur ad Eccleſiaſticos, qui de jure vel conſuetudine intereſſe ſolent generalibus Conciliis: idque ſine ulla publicatione aut indictione neceſſaria ex parte Romani Pontificis, aut Cardinalium. Quod ſi Papa aliqua ſtrua impedimenta, ut Concilii celebrationem interturbet aut remoretur, ipſo facto ſuſpenſus ab officio Papali declaratur.

Declarat quoque hæc ſancta Synodus, verba illa, videlicet *nullatenus prorogetur*,

in dicto Decreto Sessionis XXXIX. Synodi Constantiensis posita, ita prohibitive intelligi, ut etiam per Papam prorogari non possit. Quodque Concilium actu congregatum dissolvi aut de loco ad locum mutari, sine ipsius Concilii expresso consensu, per Romanum Pontificem nullatenus possit: cassatque & irritat & annullat, si quid foritan contra hæc vel etiam in derogationem aut impedimentum ipsius Concilii generalis personarumque & Prælatorum ac suppositorum ejusdem per privationem, translationem, censurasque Ecclesiasticas, vel aliter quomodolibet in futurum contigerit attentari. Statuit præterea, Concilium non posse dissolvi aut alio traduci, absque consensu expresso duarum partium cujuslibet deputationis aut Classium Concilii, de quibus dictum est hoc eodem capite numero II.

Sessio XII. die XIV. Julii ejusdem anni MCCCCXXXIII. celebratur, in eaque Patres gravissime de Eugenio quiritantur puta quod ei propositum videatur sibi suisque Successoribus viam facere ad Conciliorum generalium auctoritatem penitus delendam, continuoque etiam ad omnia Decreta Synodi Constantiensis de immediata Ecclesiæ potestate supra Papam & frequenter celebrandis Conciliis abroganda: quorum Decretorum summam tertio frequentant atque inculcant. Deinde causantur se octodecim menses integros

gros omnem operam, ſtudum, & diligentiam impendiſſe, quo Eugenii animum flecterent, & ad partes Concilii allicerent: ac tandem periculum eſſe ne hanc Synodi Baſileenſis facilitatem & clementiam in eam partem capiat, ut illi anſam obdureſcendi atque gravius delinquendi præbeat: quippe qui hancPatrum cunctationem & patientiam pro quodam aſſenſu interpretari videatur. Et quamquam in hominem tam notorie atque incorrigibiliter ſcandalizantem Eccleſiam Synodus poſſit definitivam ſententiam proferre: nihilominus quoniam Eccleſia ſuæ maternæ pietatis nunquam obliviſcitur, & Sereniſſimus Imperator Sigiſmundus ſacram Synodum quotidie pro Eugenio precari non ceſſat: Idcirco Patres quanta poſſunt animi propenſione atque affectu, per viſcera divinæ miſericordiæ etiam atque etiam Eugenium rogant, obſecrant, monent, interpellant, citant, & ex parte Dei omnipotentis ultimo ac peremptorie ei mandant, ac præcipiunt, ut intra ſexaginta dies, à die hujus Seſſionis numerandos, notum faciat Synodo ſe revocaſſe diſſolutionem aut translationem Concilii à ſe tentatam: Idque niſi fecerit, ſancta Synodus virtute Dei omnipotentis, à qua immediate auctoritatem habet in omnes Chriſtianos, Eugenium, tanquam manifeſte contumacem, & notorie atque incorrigi-

biliter ſcandalizantem Eccleſiam, ipſo facto ab omni adminiſtratione Papali tam in ſpiritualibus quam in temporalibus ſuſpendit.

Verum, hac eadem Seſſione jus ſacrarum electionum & confirmationum ab Apoſtolis inſtitutum Actorum I. & VI. & à Patribus Nicænis explicatum & roboratum Can. IV. & VI. in integrum revocatur, ſicque ſatisfit IV. & V. Articulis XL. Seſſionis Concilii Conſtantienſis.

Hoc ipſo Anno M CCCC XXXIII. quarto Calendas Auguſti, Eugenius primam Bullam diſſolutionis Concilii Baſileenſis evulgavit: ſecundam vero Idibus Septembris conſequentis: quas Bullas repetet ex Seſſione XVI. infra, ubi Eugenius memoratas bullas revocat, & Concilium approbat, ut oſtendetur.

XII. Dum hæc à Patribus gererentur, optimus & piiſſimus Imperator Sigiſmundus, ut Eugenium à propoſito averteret, & ad partes Concilii adduceret, eidem plures ſcripſit Epiſtolas, quæ extant inter Acta Synodalia, eas perpendet Lector quartam præſertim, qua monet Pontificem, ut Eccleſia, jamjam moriturae atque ſacramentum extremæ unctionis expectanti, feſtinato opituletur & ſuccurrat: quintam ſimiliter hoc donatam exordio: *Primo, quemadmodum Veſtra ſanctitas, &c.* quoniam ejuſdem eſt plane argumenti.

Seſ-

Sessione xiii. die Veneris xi. Septembris mcccc xxxiii. Promotores Synodi Eugenium tertio postulant contumaciæ, quoniam, exacto sexaginta dierum spatio sibi peremptorie definito, dissolutionem Basileensis Synodi à se tentatam minime revocarit.

XIII. Actione xiv. Idibus Novembris ejusdem anni præsente atque assidente Sigismundo, Imperialibus vestimentis ornato, Patres Eugenio concedunt spatium nonaginta dierum, quo labente possit sacræ Synodo adhærescere ac sese unire: quam ob causam tres illi præscribunt adhæsionis formulas. Nam postquam Eugenius animadvertit Imperatorem & reliquos Principes Christianos corruptelarum Curiæ Romanæ & disciplinæ Ecclesiasticæ pertæsos, strenue Basileensi Synodo favere: tandem veritus ne ab omnibus Christianis Nationibus desereretur sese collegit & in consilium adhibuit; ac Basileensem Synodum absque ullo manifesto publicoque impedimento continuari passus est in Annum m cccc xxxvii. quo Sigismundus Imperator è vivis excessit: & Patres Basileenses Imperatoris præsidio orbati fuerunt.

XIV. Sessione xv. sexto Calend. Decembris, assidente pariter Imperatore, Patres statuunt ut Synodi Provinciales & Episcopales bis aut ad minus semel annuatim habeantur, juxta praxim Ecclesiæ primitivæ, quin-

to

to Canone Niçæno & secundo Constantinopolitano consecratam & ad octavum usque Concilium tempore Adriani II. continuatam, ut lib. priore Historiæ Conciliorum docuimus. Hac autem sanctione Patres Basileenses Aristocraticum regimen Ecclesiæ juxta Sessionem XL. Synodi Basileensis in integrum revocant: cum enim *Christus claves unitati dederit, ut per unum exercerentur atque exequutioni mandarentur: ideo suprema jurisdictio residet in Synodis & Canonibus Synodice conditis*: quorum exequutioni Papa & reliqui Episcopi proportionatim incumbunt.

CAPUT. III.

I. *Sessione* XVI *Eugenius Bullam evulgat, qua nominatim declarat Synodum Basileensem esse legitimam, ejusque Acta & agenda in posterum his Casibus sigillatim approbat: nimirum pro fide Catholica, concilianda pace inter Principes Christianos, reformanda Ecclesia in capite & in membris: necnon etiam pro omnibus aliis rebus ad hæc tria cipita aliquo modo spectantibus.*

II. *Argumenta Vallii contra hanc Eugenii declarationem soluta.*

III. *Legati Eugenii admittuntur à Concilio Basileensi cum Sacramenti emissione, ut Auctoritatem Concilii vindicare teneantur, juxta Decretum* IV. & V. *Sessionis Constantiensis de Concilii Auctoritate supra Papam.*

IV. *Iidem Legati admittuntur ad præsidendum Concilio absque coactiva jurisdictione in Concilium aut personas eidem adhærentes.*

V. *Item, decernitur Conclusionem Synodalem fieri debere inito suffragiorum numero: & jus concludendi ad antiquiorem Præ-*

Prælatum pertinere, eo casu quo Legati Pontificii concludere nollent: Item, ut Decreta Synodi expediantur sub nomine & Bulla Concilii sicut consuetum erat antiquitus.

VI. *Sessione* XVIII. *Decretum Synodi Constantiensis de Concilii Auctoritate supra Papam quinto iteratur atque approbatur.*

VII. *Oratores Imperatoris & Patriarchæ Constantinopolitani recipiuntur à Concilio Basileensi, atque communi omnium consensu decernitur & stipulatur continuandam Synodum Basileæ quod Imperator appulisset ad portum quem ei Synodus designarit: quæ designatio facta est Sessione* XXV.

VIII. *Canones Synodi Basileensis pro recuperanda disciplina Ecclesiæ collapsa, & reformanda Ecclesia in capite & in membris à Sessione* XX. *ad* XXIV.

IX. *Sessione* XXV. *nominatur à Patribus Sabaudia aut* Avinio *pro excipiendis Græcis juxta pacta conventa Sessione* XIX. *Hinc autem Eugenius arripuit ansam transferendi Concilii Ferrariam, quam primum animadvertit Sigismundum Imperatorem annis & adversa valetudine sic decumbere ut amplius Concilio opitulari non posset.*

X. *Caroli* VII. *Galliarum regis edictum, ne quis Prælatorum regni Franciæ sese ad Ferrariense Concilium conferret.*

I. ANNO MCCCCXXXIV. Nonis Februarii Sessione XVI. Patres declarant Eugenium Synodo Basileensi adhærere: atque in ejus rei fidem Bulla Eugenii inseritur in Acta Synodi: qua quidem nominatim & explicate profitetur, quæcumque prius acta sunt & deinceps à sacra Synodo agentur pro hæreseum exstirpatione, pace populi Christiani, generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, aut quæ ad hæc tria capita quomodocumque pertinebunt, se quidem amplecti & comprobare. In cujus rei fidem, tres Bul-

Bullas aut literas Apostolicas super dissolutione Basileensis Synodi evulgatas abrogat & revocat. Cæterum ut omnes de memorata Bulla Eugenii ex rei veritate judicium ferre queant, illam hic integram exhibebo.

Eugenius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dudum Sacrum Generale Basileense Concilium per Generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum statuta ordinationesque felicis recordationis Martini Papæ V. ac nostras pro exstirpatione hæresum, pace Populi Christiani, ac generali reformatione Ecclesiæ in capite & in membris & pertinentibus ad ea legitime inchoatum, *ex certis causis in aliis nostris literis expressis, de Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio & assensu dissolvimus. Verum cum ex dicta dissolutione ortæ sint graves dissentiones, & graviores oriri possint: nihilque magis optemus, quam quod prædicta sancta Opera debitum sortiantur effectum: de Consilio & assensu Venerabilis Fratris Jordani Episcopi Sabinensis & dilectorum Filiorum nostrorum Antonii S. Marcelli, Francisci sancti Clementis Angeloti tituli sancti Marci Presbyterorum ac Lucidi sanctæ Mariæ in Cosmedin, & Ardecini S S. Cosmæ & Damiani Diaconorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, decernimus & declaramus, præfatum Generale Concilium Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ, legitimo continua-*

nuatum fuisse & esse, prosequutionemque semper habuisse continuari ac prosequutionem habere debere ad prædicta & pertinentia ad ea: perinde acsi nulla dissolutio facta fuisset. *Quinimo præfatam dissolutionem irritam & inanem de consilio & assensu simili declarantes, quod ipsum Sacrum generale Concilium Basileense pure & simpliciter & cum effectu ac omni devotione & favore prosequimur & prosequi intendimus. Præterea ut mentis nostræ integritas ac devotio, quam ad Universalem Ecclesiam & Sacrum Generale Concilium Basileense gerimus, omnibus constet evidenter, duas nostras literas pridem in Palatio Apostolico promulgatas, (nam tertias quarum tenor de verbo ad verbum inferius describitur, quæ dicuntur incipere* Deus novit, *cum à nobis aut de scitu nostro nunquam emanarint, licet superfluum videatur, quod non extat revocare: tamen quia petitum est & ad cautelam, si ullo unquam tempore apparent,) & alias quascumque, & quidquid per nos aut nostro nomine in præjudicium aut derogationem prædicti Sacri Concilii Basileensis seu contra ejus auctoritatem factum & attentatum seu assertum est, cassamus, revocamus, irritamus, & annullamus, nullas & irritas fuisse & esse declaramus. Item, revocamus quoscumque processus quarumque Censurarum, Privationum & Suspensionum factos contra supposita hujus Sacri Concilii Basileensis, & Adhærentes eidem: necnon & om-*

omnia gesta & facta in præjudicium, læsionem, & derogationem eorumdem eis non legitime citatis, nec legitime defensis de quibuscumque dignitatibns, beneficiis, commendis & officiis, etiamsi Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiæ, &c. existant, Juribus & bonis quibuscumque & specialiter contra Cardinales de Cypro sancti Sixsti & Firmanum, ac omnia in pristinum Statum per præsentes reducimus, perinde acsi non emanassent cum Clausulis opportunis. Mandantes sub pœnis formidabilibus omnibus, qui se dictis dignitatibus, beneficiis commendis, officiis, Juribus, & bonis intromisissent, vel ratione dictarum privationum seu nostrarum ordinationum quarumcumque se vellent intromittere, ut ab ipsa intromissione & omni molestia penitus desistant. Utrum autum fuerit legitima citatio & defensio stabitur judicio ipsius Sacri Concilii. Nos autem deinceps à novitatibus & gravaminibus seu præjudiciis inferendis ipsi Sacro Concilio vel suppositis ejus & adhærentibus eidem realiter & cum effectu desistemus. Huc usque Bulla Eugenii, cui verbum de verbo tenorem trium præfatarum Bullarum, quas vulgaverat pro dissolutione Concilii Basileensis, subjicit, illasque antiquat, & literas suas Apostolicas hac formula concludit: *Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini* MCCCCXXXIII. *decimo sexto Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno tertio.*

Quæ

Quæ Bulla Eugenii, nobis certam atque indubitatam praxim Decretorum Synodi Constantiensis de auctoritate Concilii suprà Papam exhibet: Illorumque vel ignorantiam arguit, qui contra fidem omnium Actorum & literas Apostolicas Eugenii perhibent, Basileense Concilium esse Acephalum, & schismaticum: hic ego loquor ad propositum Curialium, qui ex cap. *Significasti, de electione & electi potestate*, memorant omnia Concilia robur habere à Summo Pontifice: Ita ut ab illo solo indici, congregari, confirmari, & antiquari debeant. Quibus etiam legibus & conditionibus causa Adversariorum perit: quoniam Synodus Basileensis non modo à Martino & Eugenio indicta & convocata est, verum etiam ipse Eugenius hac Bulla explicate & sigillatim docet, *se omnia præcedentibus Sessionibus gesta, deincepsque gerenda pro exstirpatione hæresum, pace constituenda inter Principes Christianos, Ecclesiæ reformatione in capite & in membris, cum omnibus aliis ad hæc tria capita spectantibus approbare, & rata grata habere.* Quandoquidèm hæc est summa Bullæ Eugenii: & hinc dolor & querimoniæ Platinæ adversus eundem Eugenium, quod Basileensi Concilio auctoritatem dederit: *Eugenius*, inquit, *principio sui Pontificatus malis consiliis ductus, divina humanaque omnia perturbavit: Nam & Populum Romanum ad arma excivit, &*

Concilio Basileensi, unde infinita mala orta sunt, auctoritatem dedit, approbatis eorum per literas Apostolicas Decretis. Hæc ille infinita mala ex Basileensi Concilio orta narrans, quoniam Patres de Ecclesia in capite & in membris reformanda statuerunt. Proculdubio Cajetanus omnium primus in oratione quam in Synodo Lateranensi habuit Basileensi Concilio tanquam Acephalo & schismatico ausus est obloqui: deinde ubi Leo X. cum Francisco I. concordavit & Pragmaticam sanctionem abrogavit, isthæc Cajetani Elogia in Sessionem XI. Synodi Lateranensis conjecta sunt. At vero Cardinalis Bellarminus lib. III. *de Ecclesia melitante* cap. XVI. nobis declarat quidnam ex Curiæ Romanæ placitis de hac re sit tenendum. *Ad Sextum*, ait, *dico Basileense Concilium initio quidem fuisse legitimum: Nam & Legatus aderat Romani Pontificis, & Episcopi plurimi: At quo tempore Eugenium deposuit & Felicem elegit, non fuit Concilium Ecclesiæ, sed Conciliabulum, schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis: sic enim appellatur in Concilio Lateranensi Sessione* XI. Qua ex Bellarmini Sententia & Curialium institutis colligimus necessario Basileense Concilium fuisse legitimum usque ad depositionem Eugenii: de qua solum agi cœptum est Sessione XXVI. anno M CCCC XXXVII. Quo posito, insurgit XXV. priores Sessiones hujus Conci-

ci-

cilii esse Canonicas, & ab Eugenio probatas: consequenterque etiam Decreta IV. & V. Sessionis Synodi Constantiensis de Concilii auctoritate supra Papam: quippe quæ communibus Patrum Basileensium votis auctoratæ & inculcatæ sunt Sessione II. III. XII. XVI. & XVIII. Hoc autem certissimo atque evidentissimo defixo principio, necessario insurgit Eugenium neque ullum alium potuisse Synodum Basileensem dissolvere aut alio transportare absque Basileensis Concilii auctoritate & consensu: Addo amplius, sequi quæcumque Basileæ acta sunt à Patribus pro Ecclesia in capite & in membris reformanda, & aliis ad hoc caput pertinentibus, esse legitima, Canonica, & ab ipsomet Eugenio probata, istuc enim quæstio Juris evadit, quam unam enucleare volumus.

II. Magister Andreas Vallius initio primæ partis libri sui de suprema Papæ potestate, ut aliquid novi à Cajetano & Bellarmino distinctum comminisceretur, hoc est, ut suo more nugas pueriles effutiret, tria potissimum opponit adversus Synodum Basileensem: Primo: *Eugenium, quando Bullam hanc pro approbatione Synodi Basileensis edidit, ægrotasse: tuncque à quibusdam Cardinalibus, præsertim ab Andrea Venetorum oratore, perterritum, & nisi Bullas adhæsionis Concilio expediret se ab eo omnes secessuros.* Ex quo Magister Theologiæ infert, ejusmodi Bullam tanquam vi metus-

que causa extortam nullius esse ponderis. Secundo opponit, *dato quod Eugenius ejusmodi Bullam sponte vulgarit, non tamen aliquid amplius probare, quam Concilium secundum quid & ratione convocationis à communi capite Ecclesiæ esse œcumenicum, non tamen absolute & essentialiter.* Propria sunt hominis verba quæ magna parte mutuatus est à Melchiore Cano, lib. v. *de Locis* cap. ultimo versus finem. Tertio perhibet, *tres conclusiones contra Eugenium factas à Patribus Basileensibus per dolum & fraudem Ludovici Cardinalis Arelatensis, qui Concilio præerat.*

Sed ut his cavillationibus sigillatim respondeamus, quod arguit de metu cadente in constantem virum, hac ratione Marcellinus suam idololatriam tueri potuisset contra accusationem Patrum Synodi Sinnessanæ: & Liberius Papa atque Osius Cordubensis Episcopus se canonice excusare, quod Synodo Ariminensi contra Symbolum Nicænum subscripsissent. Præterea veritas & ratio Historiæ Vallium fugit: dum memorat Eugenium ab Andrea Venetorum Oratore perterritum: siquidem Eugenius semper usus est Venetorum popularium suorum re, consilio, & opibus contra Synodum Basileensem: cum enim Venetia oriundus esset, hæc Respublica in magna parte laudis & gloriæ ducebat quod Ecclesia Pontificem habe-

haberet natum Venetiis: quare Andreas Orator Reipublicæ Veneta non terrendi Eugenii causa, sed ut ei quid optimum esset factu ad cedendum tempori & præsentem vitandam tempestatem demonstraret, suasit esse adhærendum Concilio Basileensi in præsentiarum; quoniam nisi id faceret, periculum impendebat ne ab omnibus Christianis Nationibus, quæ Basileensi Concilio tum favebant mordicus, plane desereretur. Et hæc de primo Argumento. Ad secundum, Vallius demonstrat se vel nunquam legisse vel non intellexisse Bullam Eugenii qua de velitatur: quando hæc nominatim refert: *Decernimus & declaramus præfatum generale Concilium Basileense à tempore prædictæ inchoationis suæ legitime continuatum fuisse & esse; prosequutionemque semquer habuisse, continuari ac prosequutionem habere debere, videlicet ad exstirpationem hæreseum, pacem inter Christianos stabiliendam, reformationem Ecclesiæ in capite & in membris, & ad alia quæ ad tria prædicta capita pertinebunt: declarantes quod ipsum sacrum Concilium Basileense pure, simpliciter, & cum effectu ac omni devotione & favore prosequimur & prosequi intendimus.* At rogo, quidam est cum effectu & favore sequi & amplecti Concilium, quam illud comprobare & grata habere quæ in eo

gesta sunt & deinceps gerentur, secundum tria capita concepta in Bulla Eugenii? Tertium Argumentum de dolo & fraude Cardinalis Arelatensis opportunius infra explicabitur: spectat enim ad abdicationem Eugenii.

III. Verum ad Historiam nostram redeo; ubi Oratores Eugenii cum ejusdem Bulla admissi sunt in Sessione XVI. Nonis Februarii, MCCCCXXXIV. ut dictum est: tandem die Sabbati XXIV. Aprilis ejusdem anni in congregatione generali, Legati ejusdem Eugenii incorporantur Concilio, videlicet Cardinalis sanctæ Crucis, Archiepiscopus Tarentinus, Episcopus Paduanus, & Abbas sanctæ Justinæ, &c. A quibus Patres in memorata congregatione (siquidem congregatio à Sessione publica distinguebatur, ut initio dictum est) Sacramentum hac formula exigunt: nimirum; *Quod nominibus propriis jurabunt fideliter laborare pro statu & honore sacri Concilii, & ejus Decreta defendere, & manu tenere: & specialiter Decretum* IV. *&* V. *Sessionis sacri Concilii Constantiensis: cujus tenor sequitur & est talis: Primo, quod generalis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his*

quæ

quæ pertinent ad fidem & exstirpationem hæreseum, pacem constituendam inter Principes Christianos, & Ecclesiæ reformationem in capite & in membris. Item, declarat, quod quicumque cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis sive ordinationibus aut praeceptis hujus sanctæ Synodi & cujuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, &c. Item, jurabunt dare sanum & salubre consilium secundum Deum & conscientias suas, & non revelaturos vota singulorum in quantum ex hujusmodi revelatione verisimiliter posset oriri aliquod odium vel scandalum, &c. Item, non recedere à loco huius sacri Concilii sine licentia obtentu à deputatis ejusdem. Hucusque formula juramenti, quæ continet aliud monimentum praxeos auctoritatis Concilii supra Papam. Certe Patres Basileenses idipsum formidabant quod revera erat; scilicet Eugenium tantum in speciem & ad tempus sibi opportunum Concilium Basileense approbasse: eoque Legatos suos misisse, ut clanculum Patres solicitarent ad secedendum Basilea, ut contigit: quocirca hæc frequentatio Sacramenti fuit meditatio fraudis in Oratoribus Eugenii.

IV. Sessione XVII. VI. Cal. Maji, MCCCC XXXIV. permulta statuuntur à Patribus pro securitate Concilii. Nam cum cernerent posse usu evenire ut si Oratores Eugenii ad absolu-

gesta sunt & deinceps gerentur, secundum tria capita concepta in Bulla Eugenii? Tertium Argumentum de dolo & fraude Cardinalis Arelatensis opportunius infra explicabitur: spectat enim ad abdicationem Eugenii.

III. Verum ad Historiam nostram redeo; ubi Oratores Eugenii cum ejusdem Bulla admissi sunt in Sessione XVI. Nonis Februarii, M CCCC XXXIV. ut dictum est: tandem die Sabbati XXIV. Aprilis ejusdem anni in congregatione generali, Legati ejusdem Eugenii incorporantur Concilio, videlicet Cardinalis sanctæ Crucis, Archiepiscopus Tarentinus, Episcopus Paduanus, & Abbas sanctæ Justinæ, &c. A quibus Patres in memorata congregatione (siquidem congregatio à Sessione publica distinguebatur, ut initio dictum est) Sacramentum hac formula exigunt: nimirum; *Quod nominibus propriis jurabunt fideliter laborare pro statu & honore sacri Concilii, & ejus Decreta defendere, & manu tenere: & specialiter Decretum* IV. *&* V. *Sessionis sacri Concilii Constantiensis: cujus tenor sequitur & est talis: Primo, quod generalis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his*

quæ

quæ pertinent ad ſidem & exſtirpationem hæreſeum, pacem conſtituendam inter Principes Chriſtianos, & Eccleſiæ reformationem in capite & in membris. Item, declarat, quod quicumque cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, qui mandatis, ſtatutis ſive ordinationibus aut præceptis hujus ſanctæ Synodi & cujuſcumque alterius Concilii generalis legitime congregati, &c. Item, jurabunt dare ſanum & ſalubre conſilium ſecundum Deum & conſcientias ſuas, & non revelaturos vota ſingulorum in quantum ex hujuſmodi revelatione veriſimiliter poſſet oriri aliquod odium vel ſcandalum, &c. Item, non recedere à loco hujus ſacri Concilii ſine licentia obtentu à deputatis ejuſdem. Hucuſque formula juramenti, quæ continet aliud monimentum praxeos auctoritatis Concilii ſupra Papam. Certe Patres Baſileenſes idipſum formidabant quod revera erat; ſcilicet Eugenium tantum in ſpeciem & ad tempus ſibi opportunum Concilium Baſileenſe approbaſſe: eoque Legatos ſuos miſiſſe, ut clanculum Patres ſolicitarent ad ſecedendum Baſilea, ut contigit: quocirca hæc frequentatio Sacramenti fuit meditatio fraudis in Oratoribus Eugenii.

IV. Seſſione XVII. VI. Cal. Maji, MCCCCXXXIV. permulta ſtatuuntur à Patribus pro ſecuritate Concilii. Nam cum cernerent poſſe uſu evenire ut ſi Oratores Eugenii ad abſolu-

te præsidendum Concilio admitterentur, facile propositum emendandæ Ecclesiæ in capite & in membris impedirent: ideo declarant se præfatos Oratores & Legatos duntaxat admittere ad præsidendum Synodo absque ulla jurisdictione coactiva.

V. Secundo decernunt, statim atque conclusiones à quatuor Classibus aut Deputationibus Concilii factæ, in congregatione generali aut in publica Sessione Concilii perlectæ fuerint, ut primus Legatorum Romani Pontificis, qui intererit actioni, eas inito suffragiorum numero Synodice concludere & comprobare teneatur: sicut antea in more positum erat: hocque si primus, secundus, aut tertius Oratorum Eugenii facere detrectarit, munus præsidendi & concludendi ad antiquiorem & digniorem Prælatum, qui in ordine sedendi proximus erit, devolvatur. Quæ omnia regimen Aristocraticum Ecclesiæ quale in primis generalibus Synodis constanter servatum est, recuperant & confirmant.

Tertio sanciunt, ut cuncta Synodalia sub nomine & Bulla sacri Concilii non autem Pontificis Romani expediantur: quæ ratio agendi servata pariter est in octo primis generalibus Conciliis atque etiam Aristocraticum regimen in integrum revocat. Nam alias ostendimus hanc formulam concludendi Acta Synodalia: *Nos sacro approbante Concilio,*

de-

decernimus, *&c.* ab eo tempore à Romanis Pontificibus inventam, quo absoluta infallibilis Monarchia, verum & justissimum regimen à Christo institutum absorpsit. Quam in rem legendus Joannes Patriarcha Antiochenus, Tractatu *de Auctoritate Concilii*: quem in calce Actorum Synodalium Basileensis Concilii extare monui in Collectione Surii & Binii. At hic operæ pretium est notare ex Panormitano tractatu de veritate, auctoritate, & Justitia Concilii Basileensis, Bullam Concilii qua Patres Acta expediri oportere decernunt, solitam asservari in capsa quam Præsidens Concilii custodiebat: quæ capsa quatuor seris concludebatur, quarum quatuor claves, quatuor sapientes Concilii qui singulis mensibus ex quatuor Deputationibus deligebantur servabant. Has autem seras Joannes Tarentinus Orator Eugenii evulsit ut statim ostendetur.

Porro ex hac Sessione XVII. pronum est dignoscere Bellarminum lib. III. cap. XVI. *de Ecclesia militante* contra omnem speciem veritatis asseveranter scribere Ludovicum Alemanum Cardinalem Arelatensem, post dissolutum ab Eugenio Concilium, sibi munus præsidendi assumpsisse. Siquidem hinc claret, jus præsidendi non modo Cardinali Arelatensi, verumetiam cuicumque digniori & antiquiori Prælato post Cardinalem Arelatensem contigisse, si forte

Cardinalis Arelatensis munus præsidendi repudiasset. Itaque frustra adversarii vociferantur, dissoluta Basileensi Synodo ab Eugenio, nullum fuisse qui Synodo præsideret: cum ex regulis Aristocratici regiminis si Papa Concilio legitime indicto & congregato præsidere recuset, ipsa Synodus sibi Præsidem constituere valeat. Hercle quidem in secunda Synodo generali Constantinopolitana, quamquam nullus ex parte Damasi legitime vocati interesset Concilio, nihilominus SS. Patres Basilius, Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, &c. Lumina Orientalis Ecclesiæ Synodum rite habuerunt & concluserunt. Idemque est judicium de quinta Synodo generali quæ habita est, quamquam Vigilius PP. ei præsidere nollet. Præterea in Synodo Chalcedonensi Actione XVI. Legatis B. Leonis reclamantibus Synodice definitum est ut Thracia Ecclesiæ Constantinopolitanæ regenda addiceretur & Archiepiscopus Constantinopolitanus secundas honoris partes post Episcopum Romanum obtineret. Quod Decretum inveteravit ipso Leone magno reclamante. Equidem nullus Catholicus ambigit quin munus præsidendi Conciliis eaque convocandi Romano Pontifici debeatur ratione Primatus aut status Monarchici, quo quidem Papa auctoritatem obtinet supra singulares Ecclesias disgregatas. Verum postquam in Conciliis est aliquid

Sy-

Synodice & ſecundum Canones conſtitutum, ſi Papa ſubducto ſuffragiorum nolit concludere, certiſſimum eſt Concilium generale, quod Eccleſiam Catholicam repræſentat, & immediate auctoritatem habet à Chriſto, poſſe ſibi Præſidem deligere, atque Papa renitente Decretum facere. Quæque in contrarium promuntur ab adverſariis, meræ ſunt imaginationes ſophiſticæ, quibus Papam eſſe abſolutum infallibilem Monarcham Eccleſiæ cavillantur.

VI. Seſſione XVIII. VI. Calend. Julii, M CCCC XXXIV. Patres Decretum IV. & V. Seſſionis Conſtantienſis Synodi quinto frequentant: Jam enim de illo egerant II, III, XII, & XVI. Seſſione. Hujus autem crebræ inculcationis hanc cauſam reddunt: quod plurimi referat univerſum orbem Chriſtianum cognoſcere Concilium Generale Eccleſiam Catholicam repræſentare, ac immediate auctoritatem habere à Chriſto, eique propterea cunctos homines, nemine dempto, tribus in caſibus ſubeſſe: puta cum de fide, de exſtirpando ſchiſmate, ac de Eccleſiæ reformatione in capite & in membris agitur, &c. Ad hæc autem qui conſiderate attenderit, prima facie cognoſcet Scriptores Italos fruſtra eſſe, dum cauſantur IV. & V. Seſſionem Conſtantienſem à ſola obedientia Joannis XXIII. aut à tertia tantum parte Eccleſiæ Catholicæ auctoratam fuiſ-

fuisse: cum ex iis quæ disputavimus liqueat, illas Sessiones Concilii Constantiensis quinquies ab Ecclesia Catholica auctoratas fuisse in Basileensi Concilio: ipso etiam approbante Eugenio, juxta clausulam ejus Bullæ adscriptam Sessione XVI. Basileensi: *Nimirum quod intendat cum effectu probare acta & agenda in tribus casibus, videlicet, pro hæresеum exstirpatione, pro sancienda Pace inter Christianos, reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, nec non etiam pro iis quæ ad prædicta tria capita spectabant*: Huc autem referri Decreta IV. & V. Sessionis Constantiensis nemo tam cæcus est qui non prima fronte videat: & si quam habet propensionem ad optimum Ecclesiæ regimen atque emendationem morum, non miretur illorum temeritatem, qui nuper ausi sunt Syodum Baleensem ex Conciliorum Generalium numero expungere.

Cæterum qui ad oram aut marginem hujus Sessionis XVIII. minutulis characteribus edi curarunt Sigismundum Imperatorem hiuc Actioni non interfuisse, & jam antequam haberetur decessisse Basilea, oportet quidem male feriatos fuisse: sed multo magis alios nuperos, Bivinum scilicet: qui ex hac Imperatoris absentia efficere vult Sigismundum Imperatorem minus grata habuisse gesta Patrum Basileensium, quod est mendacium impudens: quoniam optimus Prin-

ceps

ceps Synodo Basileensi suppetias tulit ad extremum usque spiritum: adeo quidem, ut Eugenius nihil unquam aperte adversus Sacrum hanc Synodum tentare ausus sit, antequam resciret Sigismundum senili ætate & adversa valetudine sic oppressum in lecto, ut Patribus Basileensibus nullomodo posset auxiliari. At si ultro concesserimus Adversariis Imperatorem abfuisse Basilea, quid lucri ex eo sperabunt, cum hoc ad Juris quæstionem quam indagamus nihil conferat?

VII. Actione XIX. VII. Idus Septembris MCCCCXXXIV. Patres salvum Conductum Græcis conscribunt, quo se ad Basileensem Synodum conferant. Quæ unio primum à Martino V. excitata fuerat in Senensi Concilio, deinde ab Eugenio renovata, ut Basileensem Synodum dissolveret & Bononiam traduceret, sicut probatum est superius. Calcondilas memorat, tum opes Constantinopolitani imperii Turcorum dominatu funditus attritas: atque Imperatorem & Patriarcham Constantinopolitanum animum induxisse facilius se à Latinis pro tutando suo Imperio opem impetraturos, & cum Ecclesia Latina concordarent: eamque ob causam Oratores suos Basileam misisse, ut de hac re ageretur. Communi autem sententia Patrum atque Oratorum Imperatoris Constantinopolitani stipulatum & sta-

ſtatutum fuit, Concilium eſſe continuandum Baſileæ quoad Imperator Orientis ad portum appuliſſet, quem ei ſacra Synodus nominaret: atque in eum finem triremes ſumptuſque neceſſarios Græcis ſuppeditaret: reliqua videbit Lector, & obſervabit Eugenium deinceps Synodum Baſileenſem & Eccleſiæ reformationem diſturbaſſe prætextu Græcorum commodius recipiendorum atque juvandorum.

VII. His autem tanquam pro inexpugnabili Firmamento poſitis, Patres Baſileenſes ſerio in ſtudium emendandæ melius Eccleſiæ incubuerunt, & Actione xx. decimo Calend. Februarii M CCCC XXXV. ſalutaria Decreta condunt adverſum Concubinarios: Item, quinam excommunicati debeant vitari: de interdictis non leviter ponendis, nam interdicta generalia Provinciarum & Regnorum multo magis nocent quam proſunt Eccleſiæ & Religioni, ut alias probabitur: Item contra frivole appellantes, & alia ejuſmodi, quæ Lector videbit.

Actione XXI. die IX. Junii ejuſdem anni ut fiat ſatis Articulo III. Seſſionis XL. Synodi Conſtantienſis *de Annatis, communibuſque & minutis ſervitiis*, Patres ſtatuunt, Annatas neque Romæ neque alibi directe vel indirecte ſolvendas eſſe, ſive ratione & Jure vacantis beneficii, ſive pro confirmatione electionum, admiſſionum, poſtulationum, præ-

præsentationum, provisionum, collationum, &c. damnanturque de Simonia. Quo etiam decreto jus illud vel potius onus, quod Galli vocant *Deport*, plane abrogatur: fuitque introductum eo tempore quo Pontifices sederunt Avinioni: qui cum Annatas ab Episcopis & Abbatibus prætextu belli sacri exigerent, hoc incentivo fuit Episcopis ut similiter annuum redditum sacerdotiorum vacantium, quæ Curas vocant, à Curatis eriperent.

Item, hac eadem Actione agitur de pacificis possessoribus qui intergrum triennium possederunt.

Et quo modo divinum officium in Ecclesia celebrandum sit.

Quo quisque tempore debeat sedere in choro.

Qualiter horæ Canonicæ extra chorum dicendæ.

De his qui tempore divinorum officiorum vagantur per Ecclesiam.

De tabula pendente in choro.

De iis qui dum celebratur Missa non cantant integrum Symbolum Credo in unum Deum: aut qui cantilenas in Ecclesia canunt, vel nimis submisse legunt Missam, aut sine Ministro celebrant & aliis ejusmodi piis institutis. Hercle inter antiquas aut recentes Synodos generales vix ullam aliam reperies quæ plures & sanctiores Canones ad pristinam &

Apo-

Apoſtolicam diſciplinam recuperandam conſtituerit quam Synodus Baſileenſis. Verum quod Patres Cantilenas cani vetant ego arbitror intelligi de quibuſdam ridiculis & laſcivis cantionibus lingua vulgari conceptis, quas vulgus in feſto & octavis Natalitiorum Domini canere ſolet, Galli vocant *des Noëls*.

Magiſter Auguſtinus de Roma Archiepiſcopus Nazarenus librum quendam ediderat quo aſſerebat Chriſtum quotidie in ſuis membris peccare, atque alia ejuſmodi erronea, quæ à Patribus Actione XXII. damnantur.

Seſſione XXIII. VIII. Calendas Aprilis M CCCC XXXVI. permulta ſalutaria decreta conformiter ad Articulos Seſſionis XL. Synodi Conſtantienſis pro Eccleſiæ reformatione in capite & in membris decernuntur: ac primo quædam ſuper Romani Pontificis electione Sede vacante: de qua jam nonnulla ſuperius IV. & VII. Seſſione ſciverant.

Secundo, certa ratio profitendæ fidei Romano Pontifici ſtatim poſt ſuam electionem edenda concipitur, juxta formulam in Synodo Conſtantienſi Seſſione XXXIX. conditam. Ampliuſque decernitur, ut Papa ſe ſacramento devinciat ad Conciliorum generalium celebrationem & ſacrarum electionum confirmationem, juxta ſacri Baſileenſis Conſtituta Seſſione XI. & XXI.

Tertio, ne tam ſalutaria Decreta ex Romani

ni Pontificis mente unquam excidant, cavent, ut singulis annis, eo ipso die quo anniversarium suæ electionis & coronationis frequentabitur, antiquior Cardinalium præsentium intra Missarum solennia coram ipso Pontifice memoratam formulam sacramenti à Pontifice editi publice & alta voce legat ac recitet.

Quarto, ne Pontifex potius affectu Carnalitatis quam ratione officii duci credatur: utque scandalis obviam eatur, Patres edicunt, ne deinceps aliquem ex affinibus aut consanguineis ad tertium gradum exclusive cooptet in Ducem, Marchionem, Comitem, Feudatarium, Emphyteotam, Vicarium, Gubernatorem, Officialem, Castellanum alicujus Provinciæ, Civitatis, Oppidi, Castri, Fortalitii, aut loci Romanæ Ecclesiæ, &c.

Quinto, numerus Cardinalium ita sit moderatus, ut nec Ecclesiam gravet, nec superfluo numero vilescat: de omnibus orbis Christiani Provinciis quantum commode fieri poterit assumantur: quo rerum emergentium in Ecclesia expeditio facilius haberi, ac de illis maturius deliberari queat. Ad viginti quatuor reducantur, nec de una natione plures quam octo, & de una Civitate aut diœcesi plusquam unus cooptetur. Omnes sint viri scientia, moribus & rerum experientia excellentes, non minores tri-

ginta annis, Magistri, Doctores, seu Licentiati cum rigore examinis in Jure Divino vel Canonico; saltem tertia vel quarta pars illorum de Magistris aut Licentiatis in Theologia: Pauci filii, fratres aut nepotes Regum, seu magnorum Principum, scientia & moribus clari, &c.

Sexto, ne nepotes ex fratribus vel ex sorore Romani Pontificis aut alicujus Cardinalis viventis creentur Cardinales, ne illegitimo matrimonio nati, ne corpore vitiati, ne aliqua infamiæ nota aut crimine aliquo inusti.

Septimo, ubi Græca Ecclesia sese Latinæ Ecclesiæ adjunxerit, ut aliqui ex Græcis insignes & probi ad dignitatem Cardinalatus cooptentur: qua ex lege Bessarion doctissimus Episcopus Græcorum factus est Cardinalis in Synodo Ferrariensi.

Octavo, Cardinales minime creentur à solo Papa aut votis duntaxat auricularibus: sed vero atque publicato scrutinio: Ita ut compertum habeatur majorem partem Cardinalium collegialiter consensum præbuisse, ac propria syngrapha ejusmodi electionem comprobasse.

Nono, ut omnes literæ Apostolicæ & Bullæ Pontificum subscriptione Cardinalium muniantur: Cum enim Pontifici Romano assideant tanquam Ecclesiæ universalis Legati & Procuratores atque Aristocraticum Ecclе-

clesiæ Catholicæ Concilium repræsentent: de omnibus orbis Christiani partibus orbem judicaturi assumi debent, ut auctor est S. Bernardus IV. *de Considerat. ad Eugenium* cap. V. Quo ex loco Patres Basileenses hoc suum Decretum de Cardinalibus hausisse videntur. Quare propria verba S. Bernardi exscribam: *Veniamus*, ait, *ad Collaterales & adjutores tuos: hi seduli, hi intimi sunt. Quamobrem si boni sunt tibi potissimum sunt: si mali æque plus tibi: hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem: aut si bonus sis, bonitas tua solius quem fructum afferre potest? Quid inquam emolumenti adfert Ecclesiis Dei tua unius hominis justitia, ubi sententia prævalet aliter affectorum? Sed nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis, non magis quam sanitas vicino serpente: Sed sive levent sive gravent cui rectius imputandum quam tibi qui tales aut elegisti, aut admisisti? Non de omnibus dico: Nam sunt quos non elegisti, sed ipsi te. At potestatem non habent nisi quam tu eis aut tribueris aut permiseris. Ad idem ergo revertimur. Tibi imputa quicquid pateris ab eo qui sine te potest facere nihil. His exceptis de cætero non inconsiderate ut vides eligendi quique seu colligendi sunt in opus ministerii hujus. Tuum est undecumque evocare & asciscere: tibi exemplo Mosis senes non juvenes, sed senes non tam ætate quam moribus, quos tu nosti: quia senes populi sunt.* ANNON ELIGENDI DE TOTO ORBE ORBEM JUDICATURI?

Sane huic negotio non se ingerat rogans: consilio non prece agendum: Pro quo rogaris sit suspectus: qui ipse, rogat pro se, jam judicatus est: nec interest per se an per alium quis roget. Hactenus sanctissimum Galliæ lumen, & ultimus omnium Patrum Ecclesiæ, quia Post illum Doctores scholastici invaluerunt: Cæterum Bernardus neminem ad Cardinalatum cujusquam etiam Regis aut Principis commendatione & rogatu evehi patitur: & sapienter statuit hoc Aristocraticum Ecclesiæ universalis Concilium quasi generalis Concilii Epitomam esse, ac de toto orbe illos assumi oportere qui judicaturi sunt orbem. Patres autem Basileenses decernunt, Cardinales à toto Collegio Cardinalium via scrutinii ex toto orbe Christiano proportionatim deligi oportere: & ita satisfit primo Articulo Sessionis XL. Synodi Constantiensis inscripto, *de numero, qualitate & natione Cardinalium.* Porro absque hoc Aristocratico Cardinalium Concilio Papam nihil magni momenti posse legitime decernere docet Joannes Monachus Collegii Cardinalitii in Academia Parisiensi Fundator cap. *Super eo, de hæreticis* in sexto. Gersonius *de potestate Ecclesiastica* consideratione decimatertia, & Cardinalis Cusanus lib. II. *de Concordantia* cap. XX.

Decimo, hac eadem Sessione Patres præscribunt ritum sacrarum electionum, nempe ut liberæ fiant, juxta juris communis dispo-

ſpoſitionem, abſque ulla aut Eccleſiæ aut reipublicæ conturbatione.

Undecimo, gratiæ expectativæ, mandata, atque aliæ conſimiles beneficiorum reſervationes quas Pontifices Romani antea facere conſueverant, quæque ampliſſimo erant pabulo Curiæ Romanæ hirudinibus, atque omnibus Eccleſiis inſignem calamitatem infligebant, penitus abrogantur tanquam juri divino & naturali omnino contrariæ. Quos abuſus Patres Conſtantienſes tolli voluiſſe liquet ex II. & XV. Articulis XL. Seſſionis Synodi Conſtantienſis. Hinc enim vota captandæ mortis naſcebantur: quoniam illi ipſi, in quorum gratiam ejuſmodi reſervationes fiebant, tædio affecti quod poſſeſſores beneficiorum diutius quam ſperaſſent vitam protraherent, ut plurimum de illo tollendo cogitabant, aut ſaltem ejus mortem ardentiſſime exoptabant, hoc inſuper accedebat incommodi, quod nullum hac ratione vacare poterat beneficium. At vero, his ſanctiſſimis & ſaluberrimis inſtitutis, quibus Ariſtocraticum Regimen & jus commune revocabatur, Eccleſia propter mundum veteraſcentem, avaritiam atque ambitionem Curiæ Romanæ uti nullo modo potuit, neque ut arbitror unquam utetur; adeo emendandæ Eccleſiæ, omnis ratio deſperata eſt: quoniam corruptelæ illis ipſis qui Eccleſiam emendatam velle debent maximo ſunt quæſtui ac

emolumento: & in jus ordinarium abierunt, quod est prodigiosum.

Sessione XXIV. XVIII. Calend. Maji MCCCC XXXVI. Indulgentiæ omnium delictorum universis Christianis elargiuntur, qui preces ad Deum pro Græcorum unione fuderint, & ex opibus suis aliquid ad illorum subsidium erogarint. Siquidem commeatu necessario & triremibus juvandi erant Græci, ut Actione XIX. superius narratum est. Præterea Chrysobulus, id est Bulla aurea, Imperatoris Constantinopolitani publice legitur & in Acta refertur: Ex hac autem Bulla liquet Imperatorem juxta pacta conventa Sessione XIX. gratum habiturum unum ex locis quem Patres Basileenses nominabunt ad celebrandam Synodum: quæ loci designatio facta est sequenti Sessione. Verum quæ M. Andreas Vallius adversum hujusmodi indulgentiarum collationem temere effundit, infra cap. VII. confutabuntur, ubi una & semel omnia adversariorum argumenta contra Synodum Basileensem examinabimus.

IX. Sessione XXV. Nonis Maji MCCCC XXXVII. Patres Avinionem vel Sabaudiam Græcis excipiendis idoneam nominant, juxta pacta & conventa Sessione XIX. & XVIV. Dum autem hæc agerentur, id est toto Anno MCCCC XXXVII. Sigismundus Imperator ætate, & gravi morbo, quo quinto Idus Decembris ejusdem anni debitum naturæ persolvit,

vit, confectus, nullo modo Synodo Basileensi opitulari potuit: quâ ex re Eugenius ansam arripuit palam atque aperte omnes Patres Basileenses solicitandi & prensandi per Oratores suos, atque alios homines fiduciarios ut relicta Basilea Ferrariam secederent: adeo ut ipse Julianus Cardinalis Sanctæ Crucis, qui tam strenue pro Synodo Basileensi adversus Eugenium decertarat, quandiu militibus Germaniæ pro bello Bohemico devinctus fuit, tandem mutato proposito, ad Curiæ Romanæ factiones transmigravit? Veneti autem Eugenii populares Græcis persuaserunt, ut loca à Patribus Basileensibus designata tanquam sarciendæ unioni minus idonea repudiarent, atque Ferrariam quam Eugenius delegerat optarent. Hic Platinæ testimonium in Eugenii vita adscribam, ex quo Lector proclive judicabit quinam & qualis tum fuerit Ecclesiæ Status: *Mortuo Sigismundo Imperatore, à quo Basileense Concilium incrementum habuerat,* inquit Platina, *creatoque ab Electoribus Imperii Alberto Austriæ Duce, Concilium Ferrariense Eugenii nomine Cardinalis Sanctæ Crucis inchoavit. Eo proficiscitur & Eugenius, quod adventare Imperatorem Constantinopolitanum Joannem Palæologum intellexerat, cum plerisque Triremibus tum suis tum Venetorum Eugenii gratia obviam missis, ne qua vis Imperatori fierat: quod intellexerat Concilii nomine*

Triremes Gallicas in Jonium missas, quæ aut Imperatorem ad se adducerent, aut si id fieri non posset saltem hominem remorarentur, quo minus Ferrariam proficisceretur. Harum vero Triremium Præfectum, ita largitionibus corrupit Eugenius, ut relicto Concilio partes suas deinceps sequutus sit. Hucusque Platina clare demonstrans quibus fabricis Ferrariense Concilium incrementum habuerit: ex quo non mirabile est nullum laudabilem effectum habuisse.

X. Carolus VII. Franciæ Rex tum erat Turonibus ubi autem perspexit Eugenium constituisse Synodum Basileensem dissolvere atque Ferrariam traducere, scivit Edictum die XXIII. Januarii MCCCCXXXVII. more computandi Gallorum, quo Edicto omnibus Regni sui Prælatis prohibuit ne se Ferrariam conferrent prætextu habendi Concilii, sed Avinionem quando eis significaretur adirent ad Græcos excipiendos juxta pacta & conventa cum Imperatore & Patribus Basileensibus. Quod Regium Edictum extat in Collectione nova Regiarum Editionum. Proculdubio si cæteræ Nationes Christianæ tantum operæ posuissent in recuperanda & melius constituenda disciplina & gubernatione Ecclesiastica, quantum Natio Gallicana, hodie quidem Curia Romana non tantam causam lugendi multis præberet ob innumeros abusus quos fovet, & ad suum pri-

privatum commodum atque dominatum, quasi Jure divino constitutos, vindicat.

Caput. VI.

I. *Patres Basileenses expostulationem habent de Eugenio: cui sexaginta dies peremptorie condicunt, ut se intra illud spatium Basileam conferat, aut Legatos suos illuc mittat Sessione* XXVI.

II. *Sessione* XXVII. *post elapsum sexaginta dierum intervallum Eugenio præscriptum, Synodus ejusdem Eugenii Bullas quibus Synodum Basileensem transferebat Ferrariam abrogat, atque singulis illarum Articulis respondet.*

III. *Sessione* XXXI. *jus commune revocatur, caveturque ne quisquam prætermissis ordinariis suis immediate appellet Romam: Item jus sacrarum Electionum & confirmationum jamjam Sessione* XII. *renovatum iterato comprobatur.*

IV. *Sessione* XXXIII. *in vim* IV. *&* V. *Sessionis Constantiensis de superiorate Concilii supra Papam toties iteratæ, Patres decernunt eum censendum hæreticum, qui veritati Catholicæ de Ecclesiæ & Concilii auctoritate supra Papam obstinato animo adversatur: ac Eugenium ejusmodi esse sanciunt: eamque ob causam Sessione* XXXIV. *illum abdicant.*

V. *Historia scitu dignissima rerum gestarum in Basileensi Synodo inter Patres & propugnatores Eugenii.*

VI. *De Nicolao Cusano qui primum scripsit pro Concilii Auctoritate supra Papam: deinde spe Cardinalatus transiit ad partes Eugenii.*

VII. *Ejusdem Cusani Epistola ad Rodericum de Trevino analytice examinatur.*

I. SEssione XXVI. pridie Calend. Augusti MCCCCXXXVII. Patres gravissimam adversus Eugenium expostulationem instruunt: Primo enim queruntur se integrum sexennium, ut Ecclesiam in capite & in membris reformarent, incredibiles ærumnas & labores exantlasse, Canones saluberrimos

mos quibus avaritiæ, Simoniæ, ambitionis & aliorum vitiorum pestem, procul à grege Domini eliminarent; Ecclesiasticas dignitates, cæteraque beneficia probis atque idoneis Pastoribus ac ministris juxta disciplinam à Christo institutam & ab Apostolis sanctisque Patribus propagatam sacris electionibus conferrentur: sicque populus Christianus cum ipso Clero in officio sanctissime contineretur, atque optimo regimine in vitam æternam dirigeretur: nihilominus Dominum Eugenium qui omnium primus ad hæc stricte accurateque servanda obligabatur, illa omnia cum Decretis Synodi Constantiensis de Auctoritate Concilii supra Papam penitus contemnere & conculcare: atque insuper illos Censuris illaqueare voluisse qui sacris electionibus promoverentur, neque ejus Imperatis super reservationibus & gratiis expectativis obtemperarent. Quocirca sancta Synodus Basileensis eidem mandat Eugenio, ut intra sexaginta dies, à die præsentis Sessionis numerandos sese Basileam ad Concilium celebrandum conferat, aut Legatum aliquem vel Procuratorem legitime instructum eo mittat: idque nisi faciat prædicto termino LX. dierum expleto Patres narrant se ad alia juris subsidia prout Spiritus S. dictaverit properaturos.

Secundo, omnibus & singulis S. R. E. Cardinalibus in virtute sancta Obedientiæ præ-

ci-

cipiunt ut intra eundem terminum LX. dierum veniant Basileam acturi de Ecclesia melius sanctiusque reformanda.

Hic Lector ea in memoriam revocabit, quæ supra Sessione XVI. Jam obeservavimus: puta Synodum Basileensem etiam ex Adversariorum placitis ad rigorem sumptis esse legitimam ad hanc usque Sessionem inclusive, & continuo omnia Decreta superius posita esse validissima ac tutissima contra omnes Cajetani, Bellarmini & aliorum Curialium Sophisticas argutias.

Sessione XXVII. sexto Kalendas Octobris MCCCC XXXVII. nova creatio Cardinalium quam Eugenius contra Statutum IV. & XX. Sessionis hujus Synodi fecerat antiquatur à Patribus: & quoniam rumores increbuerant Eugenium velle Avinionem vendere prætextu Græcorum juvandorum, Synodus cavet ne id fiat: atque insuper Bullas ab Archiepiscopo Tarentino confictas & suppositas, quibus Bullis fingebatur Patres Basileenses Florentiam atque Utinum Græcis excipiendis nominasse, abrogat.

Sessione XXVIII. Kalendis Octobris ejusdem anni elapso LX. dierum intervallo quod Patres Eugenio condixerant Sessione XXVI. Promotores Concilii referunt, neque Eugenium, neque ejus Curiam vadimonio sibi indicto stetisse: Quare Sacrum rogant Synodum velit jubeatque illos con-

contumaciæ damnari : idque ita decernitur.

II. Actione XXIX. IV. Idus Octobris MCCCCXXXVII. Patres literas Eugenii, quibus Basileense Concilium Ferrariam transferebat, antiquant & singulis earum Capitibus sigillatim ac primo respondent Avinionem Græcis excipiendis & Concilio habendo esse opportunissimam : Cum non procul distet à mari, altissima pace & securitate fruatur: atque ab ipsismet Græcis & ab Eugenio probata fuerit ut Sessione XXV. ostensum est.

Secundo, enarrant ipso Eugenio conscio & approbante pecunias cum aliquot Triremibus ad Græcos juvandos excipiendosque paratas & instructas esse Avinione: & tamen Eugenium ut Triremes Concilii anteverteret, inscia & inconsulta Synodo alias misisse Triremes Constantinopolim : atque ex hac gemina Legatione & Classe Græcos cognituros Latinam Ecclesiam esse divisam : ac proinde hoc videri minus aptum proposito uniendæ Orientalis Ecclesiæ cum Latina. Nam quotusquisque non rideat Latinos acerrime inter sese dissentientes de Græcorum schismate sarciendo verba facere. Porro quas hic Triremes mandato Concilii approbante Eugenio Græcis excipiendis instructas memorant, regis erant Galliæ, de quibus jam Sessione XXV. egimus.

Tertio, quia Eugenius crimini vertebat Sy-

Synodo quasi Tarentinum Archiepiscopum Oratorem suum retinere voluisset: Patres respondent gesta Tarentini cujus nomini Sessione XXVII. parcere voluerant eidem magnam maculam inurere, eamque in ipsum Eugenium redundare; quandoquidem Tarentinus falsas Bullas nomine Synodi Basileensis ediderat; idque ipse tum demum falsus est.

Quarto, contendente Eugenio, inauditum esse anteactis seculis diem peremptoriam dictam Romano Pontifici, Patres rependunt comprobatum Historiis aliquos Pontifices non solum officii sui commonefactos, verum etiam Papali dignitate exauctoratos: nunquam autem prius auditum aliquem Pontificum sibi ausum arrogare, ut Decretis Conciliorum generalium & reformationi Ecclesiæ pedibus & manibus obsisteret. Quam in rem legenda Epistola Synodalis Patrum Basileensium *ad invectivam factam sub nomine Eugenii contra Synodum super materia Citationis Eugenii ad Judicium Synodale, data* XIV. *Calend. Novembris.* Sic enim inscribitur, & inter acta Concilii Basileensis extat.

Quinto, monent Eugenium revocet in memoram Decreta IV. & V. Sessionis Constantiensis de Concilii auctoritate supra Papam: quibus tantum abesse ajunt ut Eugenius obtemperet, cum potius sese in pro-

pria causa Judicem constituat: quo rationem Ecclesiæ reformandæ disturbet atque Patribus libertatem dicendæ sententiæ auferat: quem in finem narrant Synodum transtulisse Ferrariam affinem Venetianum unde oriundus erat Eugenius. Certe ut jam dixi consilio atque quibus Venetorum præsertim utebatur Eugenius in dissolutione Concilii: adeo ut Curia Romana, quod tum in ordinem coacta non fuerit, hoc Venetæ Reipublicæ acceptum referre debeat.

Sexto, meminisse debere, anno M CCCC XXXII. se frustra laborasse ut Basileense Concilium dissolveret, ac Bononiam transferret ut Sessione XVI. docuimus.

Septimo, Sessione XI. hujus Synodi statutum fuisse, Concilium à Romano Pontifice dissolvi non posse absque expresso duarum partium cujuslibet Classis aut Deputationis consensu: eique Decreto quamplurimos Cardinales ex præstantioribus consensum præbuisse: nempe Julianum sancti Angeli Legatum Sedis Apostolicæ, A. Bononiensem, B. Portuensem vulgo Placentinum, Joannem sancti Laurentii in Lucina Rotomagensem, Joannem sancti Petri ad vincula, A. sancti Eustachii, & Dominicum sanctæ Mariæ in via lata dictum Cardinalem Firmanum, vide responsionem Synodalem inscriptam ad schedulam Oratorum Principum datam Idibus Junii, M CCCC XXXIX.

Octa-

Octavo, eadem Sessione XI. iisdem Cardinalibus præsentibus & assentientibus decernitur, quod si Papa Concilium interturbare, dissolvere, aut alio ttaducere moliretur, nisi intra quatuor menses resipisceret, ipso facto ab administratione Papali suspensum iri.

Nono, cum fide Catholica tenendum sit Concilium generale legitime congregatum Ecclesiam Catholicam repræsentare Sessione IV. & V. Constantiensi: & pariter certum sit fide Catholica unicam modo esse Ecclesiam Catholicam: relinquitur quidem etiam unicum duntaxat esse posse generale Concilium, illudque Basileense: eoque stante, si quod aliud ubivis gentium habeatur, non Concilium sed schismaticorum conventiculum censendum esse: lege supra Sessionem VIII.

Decimo, cum Sessione XXXIX. Constantiensi edictum sit Papam absque expresso Concilii assensu locum futuro Concilio habendo idoneum legere non posse: à majori ad minus sequi, nullo modo licere Pontifici alio transportare Concilium legitime congregatum absque expressa ipsius Concilii sententia: vide supra III. atque XI. Sessionem.

Undecimo, Eugenium minime latere, se approbasse Decretum de Græcorum evocatione Sessione XIX. atque ibidem nomina-

natim cautum & exceptum, ut Synodus Basileæ continuaret, quoad Græci appulissent ad portum aliquem aut locum à sacra Synodo nominandum: Patres autem Basileenses nominasse Avinionem velut aptam & mari propinquam, Eugenio consentiente Sessione. XXV.

Duodecimo, quamquam S. Synodus ordine & forma Justitiæ servatis, aliquid contra Archiepiscopum Tarentinum falsarum Bullarum suppositorem egerit: inde tamen non licuisse Eugenio contra omnem Justitiæ ordinem Concilium Basileense de plenitudine potestatis, ut loquitur, dissolvere. Quis enim, inquiunt Patres, iste est usus plenitudinis potestatis? Quotusquisque ad Papatum assumptus hac via non posset ad libitum universam Christianitatem & disciplinam Ecclesiasticam evertere? Quisnam Pontifex de hæresi aut alio crimine accusatus, non confestim Synodum eum accusantem & corrigere volentem hac potestatis plenitudine dissolveret, & alio traduceret ad Ecclesiæ judicium subterfugiendum. Profecto hac potestatis plenitudine imaginaria admissa; Marcellinus Papa quando idolis thurificavit facile illudere Synodo Suinessanæ quo minus contra se convocaretur: & dato quod congregaretur, illam re infecta impedire ac disturbare potuit, ne Patres sententiam dicerent. Ex quo patet, nunquam ab Ecclesia agni-

agnitam ejusmodi potestatis plenitudinem, aut absolutam Papæ Monarchiam ad mentem recentiorum: qui huic argumento satisfacere non possunt. Nam Bellarminus lib. II. de Romano Pontifice, cap. XXX. ubi hanc discutit quæstionem: *An Papa hæreticus deponi possit*, asserit Papam hæreticum in Synodo deponi oportere: & nihilominus ut se ab hoc modo proclivius expediat fingit impossibile esse Papam evadere hæreticum, aut etiam errare posse ut privatum hominem, lib. IV. *de Romano Pontifice*, cap. VI. Cæterum Almainus lib. V. *de Auctoritate Ecclesiæ*, cap. XI. & XII. quæstionem hanc accurate evolvit adversus Cajetanum, de qua disputavimus in Defensione Libelli de Ecclesiastica & Politica potestate. Hic observabit Lector, Tarentinum Archiepscopum, ut Bullas suas supposititias sigillo Concilii muniret, capsam qua Bulla Concilii asservabatur quatuor seris evulsis effregisse: atque Patres unanimi consensu, ipso Tarentino comprobante, duodecim judices nominasse qui in effractores capsæ inquirerent eosque ut par erat punirent: sed Tarentium carminis falsi & effractionis capsæ sibi conscium, clam effugisse assumptis aliquod armigeris: Legendus Panormitani Tractatus pro Concilio Basileensi.

Decimo tertio, declarant Eugenium non videri recte sentire de immediata Ecclesiæ

auctoritate: quippe qui Oecumenico Concilio legitime congregato Ecclesiam universalem repraesentanti pervicaciter adversetur, ac se illius judicem constituat, & omnia Decreta, quae tum suis literis Apostolicis, tum per Legatos suos sedentes in Concilio comprobavit, evertere moliatur: quamquam tamen Bullis suis aperte professus sit, se cum effectu acta & agenda pro Ecclesiae reformatione in capite & in membris rata grata habiturum Sessione XVI.

Decimo quarto, Patres decernunt nominationem urbis Ferrariae, ab Eugenio factam ad celebrandum Concilium, nullam atque irritam esse; cum Actis Concilii ab Eugenio probatis plane repugnet, atque via tantum facti non juris nominata sit: consule supra Decreta II Sessionis.

At vero, ubi Eugenius perspectum habuit Patrum Basileensium constantem animum, aliquantum dubius & anceps quidnam potissimum ageret subsistit: tandemque morte Sigismundi Imperatoris confirmatus, qui V. Iduum Decembris obiit, primum misit ad Synodum Basileensem Franciscum Capitelistam doctissimum Jurisconsultum Legatum qui suam causam propugnaret: tumque demum die IX. Februarii, MCCCCXXXVIII. Synodum Ferrariensem inchoari Bullis suis mandavit teste Platina.

Sessione XXX. X. Calend. Januarii, MCCCC

XXXVIII. agitur de communione laica ſub una tantum ſpecie conformiter ad Canonem Synodi Conſtantienſis.

III. Seſſione XXXI. IX Calend. Februarii, M CCCC XXXVIII. Patres jurisdictionem hierarchicam ſecundum jus commune, quantum tempora pati poſſunt, revocant: & ita VI. & VII. Articulis XL. Seſſionis Synodi Conſtantienſis ſatisfaciunt. Primum ergo decernunt, ut unuſquiſque coram ſuo judice ordinario ſiſtat: & nemo prætermiſſis ordinariis immediate appellet Romam: explicantque quonam in caſu aliquis poſſit immediate ſanctam Sedem Apoſtolicam adire. Proculdubio, recte S. Bernardus poſt Cyprianum & Auguſtinum ait, *æquum pariter ac juſtum eſſe ut uniuscujuſque cauſa illic audiatur ubi eſt crimen admiſſum: quia ubi certior aut facilior notio ibi & deciſio tutior expeditiorque eſſe poteſt*, lib. III. *de conſidert. ad Eugenium*, cap. IV. V. & VI. Editionis Gerardi Voſſii: conſule pariter, lib. I. Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum generalium in Analyſi Epiſtolæ Patrum VI. Concilii Carthaginenſis.

Secundo, iterum jus ſacrarum electionum & collationum de quo ſupra Seſſione XII. & XXV. confirmant, atque jus Præventionum & Reſignationum in favorem exſtirpant.

Tertio, ubi ſigillatim enarrarent quan-

tam corruptelam & confusionem gratiæ expectativæ Romanorum Pontificum in Ecclesiam invexerint, easdem gratias expectativas cum reservationibus particularibus beneficiorum aliosque consimiles abusus exscindunt; de quibus jam Sessione XXIII.

Quarto, ut gratificentur Studentibus in aliqua celebri Academia, tertiam partem Præbendarum, Dignitatum, atque aliorum Beneficiorum vacantium illis reservari præcipiunt: ea lege ut graduati tempore quadragesimæ suas qualitates collatoribus beneficiorum rite insinuent & significent. Quo ex Decreto Pragmatica sanctio apud Gallos coaluit: cujus abrogatione Concordata Bononiensia invaluerunt, ut statim ostendetur.

Quinto, Eugenium tanquam contumacem atque incorrigibilem ab omni administratione Papali tam in Spiritualibus quam in temporalibus suspendunt: hæcque administratio ad sanctam Synodum devoluta declaratur. Nam tum temporis Ferrariense Concilium Eugenius indixerat, illucque Cardinalis sancti Angeli Legatus Eugenii sese ad Græcos excipiendos contulerat. Valde autem notabilis est arrogantissima vox Eugenii IV. in prooemio Synodi Ferrariensis, quæstione de purgatorio, *ubi ego & Imperator, & Patriarcha Constantinopolitanus sumus, ibi Christianorum omnium Synodus esse dicitur*, inquit,

quit, quæ vox digna eſt abſoluti Monarchæ, quem Eccleſia non agnoſcit in terris.

Menſe Martio ejuſdem anni Patres Baſileenſes hoc titulo *Synodalem reſponſionem ad fundamenta & rationes* I. & II. *Seſſionis Conventiculi* Ferrarienſis *ediderunt*, *oſtendentes Eugenium erigendo illud conventiculum introduxiſſe ſchiſma in Eccleſiam*: propria ſunt verba. Hæc autem Reſponſio legitur ad calcem Synodi Baſileenſis data Idibus Martii, M CCCC XXXVIII.

Seſſione XXXII. IX. Calend. Aprilis, M CCCC XXXVIII. in vim & robur Decreti Seſſionis XI. quo ſtatutum eſt Concilium neque diſſolvi neque alio traduci poſſe abſque expreſſo conſenſu duarum partium cujuslibet Claſſis aut Deputationis, Patres declarant electionem Ferrariæ urbis nullam atque irritam eſſe, tanquam à minori parte Synodi factam: quandoquidem Eugenius aliquos ex Patribus in ſuas partes pertraxerat. Secundo ut ſibi pedetentim viam ad Eugenii abdicationem muniant, eaſdem & conſimiles rationes urgent atque inculcant quas Articulatim Seſſione XXIX. explicavimus. Quicquid autem hujus anni ſuperfuit, illud Patres dependunt condendis atque evulgandis tribus Reſponſionibus Synodalibus contra nonnullos qui tranſlationem Synodi ab Eugenio factam velut legitimam propugnabant: quibus reſponſionibus etiam

Synodalis sententia subjungitur, qua illi qui Curiam Eugenii sequuntur censuris innodantur.

IV. Sessione XXXIII. XVII. Calend. Junii, M CCCC XXXIX. ex vi Decretorum IV. & V. Sessionis Synodi Constantiensis quinquies in hac Synodo iteratorum & confirmatorum, nempe II, III, XII, XVI, & XVIII. Sessione: Patres in hunc modum statuunt atque definiunt.

Veritas de potestate Concilii Generalis Universalem Ecclesiam repræsentantis supra Papam & quemlibet alterum declarata per Constantiense & hoc Basileense Generalia concilia est veritas Fidei Catholicæ.

Veritas hæc quod Papa Concilium Generale Universalem Ecclesiam repræsentans actu legitime congregatum super declaratis in præfata veritate aut aliquo eorum, sine ejusdem Concilii consensu, nullatenus auctoritative potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas Fidei Catholicæ.

Veritatibus duabus repugnans est censendus Hæreticus.

Quæ tres veritates aut propositiones, ad hanc formam Syllogismi in *Darii* revocari possunt.

Quicumque pervicaciter repugnat Decretis Fidei Catholicæ Synodi Constantiensis & Basileensis de Concilii auctoritate supra Papam & quem-

quemlibet alium: Similiter etiam Decretis statuentibus Concilium Generale Ecclesiam Catholicam repræsentans, non posse dissolvi aut alio transferri absque expresso ipsius Concilii consensu, est censendus Hæreticus.

Sed Eugenius pervicaciter repugnat ejusmodi Decretis,

Ergo Eugenius est habendus Hæreticus.

V. Cæterum hæ tres Conclusiones aut veritates Fidei Catholicæ primum discussæ & examinatæ sunt triduum integrum in singulis Classibus sive Deputationibus Concilii: deinde biduum in Congregatione Generali Concilii quam Patres habere solebant in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Basileensis: ubi fautoribus Eugenii repugnantibus cum essent probatæ atque conclusæ, restaretque tantum ut Synodice proponerentur, concluderentur, atque in Acta referrentur. Id quidem absque gravi motu animorum fieri non potuit: quoniam Eugenii fiduciariis propositum erat omni conatu Synodalem Conclusionem interturbare: quando id in Deputationibus & in Congregatione Generali consequi minime potuerant. Hic operæ pretium est breviter exhibere Historiam quam fuse Æneas Sylvius Picolomineus Senensis, Tridentinæ Ecclesiæ Canonicus & Conclavis Synodi Basileensis Clericus dum Patres Amedeum Sabaudiæ Ducem cooptarunt in Pontificem, duobus libris explicat,

 qui

qui duo libri res gestas in Synodo Basileensi à Sessione XXXIII. ad XXXIX. qua Felix V. creatus est Pontifex complectuntur. Cæterum in XXIII. Sessione Concilii triplex inter disputandum emersit opinio de facto Eugenii: quoniam nonnulli illum hæreticum; alii nonmodo hæreticum, verum etiam & relapsum; tertii denique neque relapsum neque hæreticum esse contedebant. Tandemque gravior vicit Sententia ut & hæreticus atque relapsus haberetur. Rex Arragoniæ cum etiam esset Siciliæ Rex & Ecclesiæ Romanæ Feudatarius, Eugenii partes acriter tuebatur. Itaque Episcopo Burgensi, Ebrunensi, & Panormitano suis Oratoribus præceperat, ut omni via & ratione Eugenium defenderent. Panormitanus qui in prima dissolutione Concilii quam Eugenius frustra tentaverat, pro Ecclesiæ & Concilii auctoritate scripserat, in hac postrema pro Eugenio Familiam ducebat, eumque nec hæreticum nec relapsum ideo persuadere annitebatur, quod omnia quæ ad fidei Articulos spectant tripartito sumi posse diceret; stricte quidem, ut in Symbolo, large ut in declarationibus factis ab Ecclesia: largissime ut in Conclusionibus, quæ tum ex Symbolo cum ex Declarationibus factis ab Ecclesia elici poterant. Porro Eugenium in prima Synodi dissolutione nullo istorum modorum Fidem

Ca-

Catholicam violasse probabat, quoniam neque in Symbolo, neque in definitionibus ab Ecclesia factis, uspiam legeretur Papam non posse Concilium dissolvere: Ampliabat Panormitanus sibi videri id ex Ecclesiæ determinatione nullomodo colligi posse. Et quamquam Sessione XXXIX. Synodi Constantiensis cap. *Frequens* statutum sit Papam non posse locum futuro Concilio idoneum nominare nisi approbante Concilio: Hoc tamen non satis esse, ut Eugenius censeretur hæreticus, quamquam Synodum Basileensem invitis Patribus alio traduxisset: quia Eugenius ejusmodi dissolutionem de consilio Cardinalium, qui Ecclesiam Romanam repræsentabant, fecisset. At vero tantam esse Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, ut Glossa singularis doceret ejus judicium toti Orbi præponi. Subjungebat, Synodum Basileensem in prima dissolutione Concilii tentata ab Eugenio hunc non habuisse pro hæretico: Idque Argumento esse tum Patres censuisse Eugenium nihil contra Fidem peccasse: Quare in Bulla, qua Eugenius Concilio Basileensi adhæsit, non revocat dissolutionem Concilii a se factam tanquam aliquid Fidei Catholicæ contrarium, sed velut scandalosum. Cum ergo Eugenius postremam hanc dissolutionem etiam de consilio & assensu Cardinalium fecisset ad unionem Græcorum procu-

curandam, urgebat Panormitanus nihil causæ supereſſe, cur ſtatueretur Eugenium in Fidem Catholicam peccaſſe, & relapſum eſſe.

Panormitano Joannes de Segovia Hiſpanus Doctor Theologiæ ad hunc modum reſpondit: ſe quidem tripartitam diviſionem Articulorum fidei ad Panormitani mentem lubentur admittere: Quippe quæ cauſam Panormitani peſſumdaret. Nam ſi, illo teſte atque aſſertore, ea quæ ex Decretis & Declarationibus Eccleſiæ eliciuntur, ad fidei articulos pertinent, ſequitur neceſſario Eugenium, qui contra Eccleſiæ Decreta manifeſto & notorie peccaſſet, eaque pervicaciter violaſſet, in Fidem Catholicam impegiſſe. Pervagatum eſſe apud omnes Syodi Conſtantienſis Decreta de immediata Eccleſiæ & Concilii Generalis auctoritate ſupra Papam in rebus ad Eccleſiæ reformationem ſpectantibus quinquies iteratos & inculcatos in Synodo Baſileenſi: eoſque Eugenium ſemel atque iterum pervicaciter ſpreviſſe & conculcaſſe, & continuo, periculoſiſſimo ſchiſmati cauſam certiſſimam præbuiſſe. Secundo, notiſſimum eſſe, Concluſionem Synodi Conſtantienſis & Baſileenſis de non diſſolvendo & transferendo Concilio abſque ejuſdem Concilii auctoritate & conſenſu, ſæpiſſime frequentetam à Patribus Baſileenſibus. Inde autem clarum eſſe, Papam, qui Concilio Eccle-

clesiam Catholicam repræsentanti subjicitur, nullam posse dicere aut imponere Legem Concilio, cujus judicio directivo & coactivo subditus est: ac propterea non posse Concilium absque ejusdem Concilii consensu dissolvere aut alio transferre. Quæ Declaratio quamquam notissima, tamen Sessione xi. diserte explicatur, atque ipsimet Eugenio, ne ullam ignorantiæ causam prætexere posset, nominatim prima Concilii dissolutione significata est. Tertio, cum Pontifex alios edocere & confirmare debeat in fide, sequi illum non modo implicite, verum etiam explicate teneri cognoscere quæ ad fidem attinent. Quocirca licet ante primam Concilii dissolutionem declaratio de non dissolvendo vel transferendo Concilio absque Concilii auctoritate nominatim & diserte facta non fuisset: nihilominus, hoc non posse Eugenium excusare quo minus relapsus habeatur: quippe qui ex Decretis iv. & v. Sessionis Constantiensis, de immediata Ecclesiæ auctoritate supra Papam, necnon ex Sessione xxxix. cap. *Frequens* id facile intelligere & colligere potuerit: cum ad id faciendum ex Pastorali officio teneretur. Quarto, si gratis Panormitano concedatur, ideo Eugenium minime censeri errasse contra fidem in prima dissolutione Concilii, quod tum temporis declaratio de non dissolvendo Concilio absque Patrum auctoritate minime extaret: attamen

men certissimum & notissimum esse, eo ipso Eugenium schismati & gravissimo scandalo occasionem præbuisse; diuque in illo errore, hoc est per octodecim menses continuos, hæsisse, eo quod Ecclesiæ auctoritati tam pervicaciter obstiterit, impediendo cursum Synodi & reformationis Ecclesiæ, continuoque graviter in fide erravisse juxta sententiam Clementis Papæ dist. XXVIII. cap. finali. *Qui enim rebelliter vivit, & discere atque agere bona recusat magis diaboli quam Christi membrum esse ostenditur, & potius infidelis quam fidelis monstratur.* Certe, qui pervicaciter Ecclesiæ obsistit pro Ethnico atque publicano habetur Matthæi XVIII. Quinto, Synodalem responsionem adversus Colossensem & Tarentinum Episcopum Oratores Eugenii, de qua superius Sessione II. actum est, quæ incipit *Cogitanti huic sacræ Synodo, &c.* plane demonstrare Eugenii pervicaciam adversus Ecclesiæ universalis auctoritatem; eumque in fide graviter errasse: quoniam memorati Oratores Patribus Basileensibus in prima dissolutione Concilii responderunt *se mori malle quam per ignaviam cedere.* Sexto, cum Patres Basileenses in Decretis & responsionibus Synodalibus contra primam dissolutionem Eugenii editis, explicate declarent ex ejusmodi dissolutione schismata, & scandala gravissima extitisse, eamque ob rem Eugenium ad Bullarum suarum revocationem,

nem, utque Synodo Basileensi adhæreret coëgerint, ut Sessione XVI. demonstratum est: sequitur Patres voluisse Eugenium cum Bullarum suarum revocatione & adhæsione ad Concilium, una etiam errorem in fide saltem implicite atque interpretative contractum à se abjurare: Idque pro illo tempore satis visum est Concilio, cujus auctoritas est supra omne jus positivum, neque communibus formulis juris adstringitur. Quando igitur Eugenius prima illa dissolutione, Ecclesiæ unitatem & sanctorum communionem hoc Articulo Symboli Apostolorum consignatam, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, &c.* quantum in se fuit labefactarit, dubium esse non potest quin graviter in fidem Catholicam peccaverit. Septimo, frustra Panormitanum obtendere de Cardinalium consilio Ecclesiam Romanam repræsentantium Synodum Basileensem dissolutam ab Eugenio, & singularem glossam testari Ecclesiam Romanam toti Ecclesiæ Catholicæ anteponendam: cum exploratum sit, Romanam Ecclesiam esse partem universalis Ecclesiæ: & Cardinales non immediate habere auctoritatem à Christo: neque proprie Ecclesiam Catholicam referre, sicut generale Concilium legitime congregatum. Ex quo insurgit, illam unicam glossam Panormitani nullius esse ponderis contra Ecclesiæ Catholicæ Decre-

cre-

creta & consensum: quando Auctore S. Hieronymo *Orbis maior est urbe.*

Hac prima velitatione expedita, Panormitanus alteram instauravit, aitque morem in Synodo Basileensi servatum sibi indignum videri: quoniam non tam dignitatis Prælatorum quam pluralitatis vocum atque suffragiorum ratio haberetur. Certum esse Episcopos columnas haberi Ecclesiæ & claves cæli possidere: Presbyteros ac cæteros Episcopos inferiores non decisivam sed duntaxat consultivam habere vocem in Conciliis: magnumque fore scandalum si absque Episcopis res fidei definirentur. Quod nunc in quæstionem venerat ejusmodi esse, ut ad illud non modo Episcopos sed etiam Principes seculi admittere oporteret: se rem factu non difficilem flagitare: nimirum ne quid contra Eugenium statueretur antequam Oratores Principum qui Basilea Moguntiam ad Comitia secesserant reversi essent. Quæ à Synodo decernerentur, tanto firmiora fore quanto plurium consensione approbarentur: frustra leges condi Ecclesiasticas, nisi Principes seculi eas exequutioni mandarent. Addebat majorem partem Prælatorum secum fore qui rem tanti momenti differri cuperent: subjecit ultimo, nisi Oratores Principum expectarentur, separatam & scriptam habere ad manum protestationem quam legi & recitari in Concilio postularet. Ludovicus Roma-

manus doctissimus Juris consultus quem Eugenius paulo ante miserat Basileam Panormitano suppetias latum venit, solosque Episcopos vocem definitivam habere in Conciliis urget: & quamquam Actorum XV. scribatur Apostolos presbyteros admisisse ad Concilium Hierosolymitanum, tamen ex gestis Apostolorum nequaquam argumenta desumi oportere: cum eorum exempla potius mirari quam sequi debeamus. Unde cum Panormitano concludebat Oratores Principum qui pro Ecclesiæ bono conventus Moguntinos adierant esse expectandos, cum brevi essent reversuri. Quibus rationibus nihil aliud Panormitano & Ludovico Romano erat propositum quam tempus redimere & impedire ne Synodica conclusio fieret: maxime vero, quod tum temporis pestilentia gravissime sæviret Basileæ: qua lue ipse Ludovicus Romanus paulo post extinctus, & ut ait Æneas Sylvius, expectatione Galeri Cardinalitii privatus est.

Verum Ludovicus Alemanus Cardinalis Arelatensis doctissimus & piissimus Præses Basileensis Synodi, nunquam satis laudatus teste Ænea Sylvio, suasionibus Panormitani & Ludovici Romani sigillatim ad hunc modum respondit: Primo Patres Basileenses cum apprime scirent veritatem non quærere angulos, nihil quicquam in occulto sed

ſed omnia palam publice & Canonice, juxta leges initio Synodi præſcriptas, geſſiſſe. Concluſiones quibus de agitur jam per plures hebdomadas inter Theologiæ Magiſtros & Patres Concilii privatim diſcuſſas; atque etiam miſſas Moguntiam & in alias Orbis Chriſtiani partes, ut de earum veritate Catholica inter omnes conſtaret, atque etiam per diuturnum tempus in quatuor Claſſibus aut Deputationibus Concilii, de more ſemper obſervato in aliis controverſiis, agitatas, omneſque qui aderant Baſileæ vocatos, ut ejuſmodi diſputationibus intereſſent, & ſi quas haberent in contrarium rationes illas proponerent: ipſumque Panormitanum optime ſcire in ſua Deputatione memoratas concluſiones triduo, deinde biduo in generali Congregatione Concilii ſe præſente, acerrime diſputante, ac obſiſtente, examinatas atque probatas fuiſſe; præſentibus quidem Principum Chriſtianorum Oratoribus, puta regis Franciæ, Caſtellæ, Arragoniæ, & ducis Mediolanenſis: qui quidem, more aliorum Epiſcoporum, nam erant Epiſcopi, ſuam quoque ſententiam dixerunt. Porro rem eſſe ejuſmodi, ut non tanta diſcuſſione indigeat, quantam Panormitanus & Ludovicus Romanus fingunt: maxime vero, quod permultis Decretis atque Synodalibus Epiſtolis, imo vero & libris ab ipſo Panormitano atque Ludovico Romano de

de Concilii auctoritate supra Papam editis, facillime definiatur: Ita ut Pontifici invito Concilio nullo modo Concilium dissolvere aut alio traducere liceat. Secundo, Cardinalis Arelatensis fatetur quosdam Oratores Principum atque inter alios Regis Castellæ & Arragoniæ ac Ducis Mediolanensis Moguntiam perrexisse: negat autem à sacro Concilio pro Ecclesiæ bono illuc missos, ut Panormitanus comminiscitur; cum invita & reclamante Synodo Basilea decesserint: & dato quod auctoritate Concilii eo profecti essent, contendit Concilium non propterea potestate decernendi carere; cum exploratum sit aliquos Prælatos ordinarie quopiam ablegari à Conciliis, neque tamen Concilia à negotiis tractandis & definiendis propterea supersedere. Tertio, prorsus à veritate alienum esse, Synodum Basileensem non satis auctoritati & dignitati Episcoporum consulere aut deferre: cum experientia & Acta ipsa contrarium doceant: Annon, inquit, Episcopi primi omnium sedent, primi loquuntur, & sententiam dicunt; cæterisque omnibus præeunt? adeo quidem ut quoties scite & ex rei veritate deliberant, omnes alii illorum sententiam sequantur: vixque à multis seculis ulla alia Synodus extiterit quæ tantopere dignitati atque auctoritati Episcoporum recuperandæ studuerit. Enimvero, cum

antea nihil quicquam Episcopis præter mitram & uncinam pastoralem superesset, ac solo pene habitu, proventibus atque opibus Presbyteros antecellerent, hac sacra Synodo illis pristina dignitas, collatio beneficiorum, confirmatio sacrarum electionum, & auctoritas in proprias oves secundum jus divinum & naturale disciplinamque Apostolicam restituta est: ut jam revera sint, cum antea solo nomine & titulo haberentur, Episcopi. Quarto, minus etiam vere dictum à Panormitano, plures habere Episcopos suarum partium: cum illi ipsi quos asseclas habet longe aliter intra privatos parietes cum familiaribus quam in publico Sessionum & Actionum Theatro loqui, & dicere soleant se libertate dicendæ sententiæ non pollere, & à Principibus suis præpediri, metu amittendorum temporalium. At vero in hac sacra Synodo multos quidem esse Episcopos, & plures Episcoporum Procuratores, de quibus siluit Panormitanus, quoniam secum minime sentiunt. Alias cum multitudo Panormitanum bene sentientem sequeretur, valde multitudinem suffragiorum laudabat: nunc vero sententiam mutat: Decreta autem Conciliorum & Synodicam agendi rationem pro hominum arbitrio mutari & fluctuare prorsus iniquum atque intolerabile videri: compertumque esse omnibus nihil quicquam hic agi contra usitatum ordinem.

Quin-

Quinto, falſo aſſeri Prælatorum dignitatem veritati & rationi debere antevertere in Conciliis: quaſi rudis atque ignari Epiſcopi opinio Presbyteri docti & probi ſententiæ præponi deberet: ſcitum quidem eſſe illum qui pro Chriſto primus ſanguinem effudit non Epiſcopum ſed Levitam & Diaconum fuiſſe B. Stephanum Actorum VII. Permirum autem videri Ludovicum Romanum dicere auſum exempla Apoſtolorum potius admiratione quam imitatione digna: cum nihil ſit quod nos magis ſequi deceat quam Eccleſiæ primitivæ diſciplinam, mores atque inſtituta quoad ejus fieri poteſt. Cum igitur hæc divina vox *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis* Actorum XV. Presbyteros atque Epiſcopos æque complectatur: quidni etiam Presbyteri vocem definitivam habebunt in Synodis. Quid memorare opus, B. Athanaſium cum eſſet ſolummodo Diaconus aut Presbyter ſententiam in Synodo Nicæna dixiſſe & in confutandis Arrianorum argumentis ſuper omnes alios Epiſcopos palmam tuliſſe. Quod vero Hiſtoriæ memorant trecentos tantum octodecim Epiſcopos Nicæno interfuiſſe Concilio, hoc ipſum Presbyteros minime excludere: quidem hac de cauſa ab Hiſtoricis prætermiſſi videntur quod eſſent innumerabiles, & facile in Acta referri non poſſent. Quamobrem hic ut in aliis rebus aſſolet à nobiliori

parte ſumitur denominatio, ita ut Epiſcopi, quamquam adjutores & aſſeſſores habuerint Presbyteros, ſoli tamen velut Principes Eccleſiæ & Presbyterorum Acta Conciliorum obſignarint: qua etiam de cauſa Symbolum fidei ſolis Apoſtolis tribuitur; quamquam communis ratio agendi Apoſtolorum aperte demonſtret illud etiam Presbyterorum conſenſu conditum: quandoquidem in Actis Apoſtolorum nihil niſi de Presbyterorum conſilio actum ab Apoſtolis legitur. Præterea in Synodo Chalcedonenſi DC. Patres aut Sacerdotes neque omnes fuiſſe Epiſcopos certiſſimum eſt: ex quo relinquitur appellationem Patrum Epiſcopis atque Presbyteris communem eſſe. Euſebius Pamphilus lib. VI. cap. XXXV. Hiſtoriæ prædicat maximum Romæ habitum Concilium adverſus Novatum, atque ſexaginta Epiſcopos cum totidem & amplius Presbyteris una cum Diaconibus ſediſſe. Et lib. VII. cap. XXII. & XXIII. memorat innumeros Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos Antiochiam contra Paulum Samoſatenum conveniſſe: atque Melchionem Presbyterum & Ludimagiſtrum Antiochenum hæreſim Samoſateni primum omnium detexiſſe & debellaſſe. In quarto Concilio Toletano ſtatim initio Canone III. hæc concepta eſſe: *Poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum atque conſeſſum vocentur deinde Presbyteri quos cauſa probaverit introi-*

troire: nullus se inter eos ingerat Diaconorum. At forsan Panormitanum & Ludovicum Romanum moveat, quod legitur prima Actione Synodi Chalcedonensis Episcopos qui cum Dioscoro Pseudosynodo Ephesinæ interfuerant in hæc verba exclamasse: *milites magis eos deposuerunt quam nos, quia terrore compulsi fecimus: ipsi primi subscripserunt Clerici, quare clamant: Synodus Episcoporum est, superfluos foras mittite.* Sed respondeo, inquit Arelatensis, Presbyteros non propter hanc exclamationem exclusos Concilio: duoque potissimum hac exclamatione, quæ contra Canones facta fuerant, reprehendi: alterum est quod Patres metu ac terrore compulsi fuissent à militibus ut Actis Pseudosynodi Ephesinæ subscriberent: alterum quod Clerici omnium primi hoc metu ad subscribendum perculsi essent: *quæ duo Jure reprehenduntur, non tertium, videlicet Presbyteros interesse Conciliis: nulla enim olim extitit Synodus in qua Presbyteri liberam sententiæ dictionem non exercuerint. Accedit quoque hæc verba *Synodus Episcoporum est*, non ad Decreta Synodi pertinere; sed tantum Historice referri: quemadmodum hodie permulta dicuntur à Panormitano quæ Synodo Basileensi tribui nequeunt. Etsi autem Synodus primario & præcipue Episcoporum sit, eo quod primum gradum Hierarchiæ obtinent, tamen etiam Presbyterorum

* *De hac re consule Historiam Synodi Chalcedonensis.*

rum est: quia auctore Augustino claves datæ sunt toti Ecclesiæ in Episcopis & Presbyteris quando Petro datæ sunt: & quod Petro, omnibus etiam Episcopis atque Presbyteris dictum est. Unde S. Hieronymus Can. *Legimus.* dist. 93. & Can. *Olim.* dist. 95. ait, *Episcopos debere cognoscere se magis consuetudine quam dispensationis Dominicæ veritate majores esse Presbyteris, & in commune Ecclesiam regere.* Equidem recentissima est Constantiensis Synodi memoria, in qua plurimi nostrum & ego una pariter, inquit Arelatensis, cum nondum essem Episcopus aut Cardinalis sed tantum privatus Doctor & Presbyter Sententiam dixi cum aliis: quod ipsum pariter observatum est antea in Synodo Pisana & Lateranensi sub Innocentio III. Quod si Abbates qui non sunt à Christo instituti vocem definitivam in Synodis obtinent, quanto magis Presbyteri, quorum ordinem Dominus erexit in LXXIX. discipulis? Hercle si Synodus esset duntaxat Episcoporum, hodie sola natio Italica, quæ omnes alias partes Christianitatis Episcoporum numero vel æquat vel superat, quicquid ei libitum videretur decerneret in Conciliis. Deus immortalis, ubinam Gentium hodie Concilium extaret, si soli Episcopi & Cardinales suffragio pollerent? Ubinam Conciliorum libertas, auctoritas, & Fides Catholica resideret? Ubinam Decreta & Eccle-

siæ

ſiæ reformandæ ratio? Jampridem certe unius Eugenii voluntati & temeritati omnia permiſſa conculcataque forent; niſi quos Panormitanus tanquam Epiſcopis inferiores hodie aſpernatur, conatibus potentiorum ſtrenue obſtitiſſent. Hi enim ſunt qui beneficiorum ſuorum privationem ab Eugenio tentatam, ejuſque cenſuras veritatis & reformandæ Eccleſiæ deſiderio contempſerunt: qui minas, perſequutioneſque ſibi illatas flocci duxerunt: qui capti, incarcerati, fuſtibuſque pro veritate & auctoritate Synodi cæſi, conſtantes permanſerunt: qui famem, bellum, & peſtem ſæviſſimam nihili habuerunt. Utrum autem Cardinales hoc fecerint, ut de meo ordine primum loquar, ait Arelatenſis, obſecro judicate. At Epiſcopos, quos ſolos vocem definitivam habere volunt, cernitis quam paucos fortes & ſtrenuos habeamus ut in hominum iniquitates valeant irrumpere? Annon plurimos dicentes audiviſtis ſe Principum & Regum ſuorum voluntati velle acquieſcere? Sexto, mirum eſſe aliquos non deeſſe qui Titularios Epiſcopos Synodo velint eliminari quod poſſeſſionibus & plebe careant. Miſeri! qui dum illos his de cauſis Concilio expellunt, non attendunt ſe B. Petro & alii Apoſtolis magnam inferre injuriam: quoniam certum eſt illos & ſine poſſeſſionibus & abſque magna plebe diu vixiſſe.
 At

At rogo quidnam in Episcopis desideratur quod non abunde insit Titulariis? An proventus & opes? quasi vero hæc Episcopum facerent, & ipsi Titularii, eo ipso quod divitiis carent, non magis sint ad serviendum Deo & humanos casus contemnendos idonei: Apostolorum & Patrum Ecclesiæ primitivæ exemplo. Sed plebe carent, inquis: At hæc non est illorum culpa: deinde Ecclesiæ primitivæ temporibus Episcopi, quamquam suis sedibus expulsi atque exules, nihilominus tamen Synodis habendis idonei habebantur, sicut & alii Episcopi, cujus rei testes sunt S. Athanasius, Hilarius, &c. Profecto Episcopi pauperes nihil tyrannorum minas extimescunt, divites vero umbræ, desidiæ, atque otio, & delitiis assueti, ordinariis voluptatibus carere nequeunt, potiusque Christum quam has abnegabunt: neque alio incentivo ad ambiendum Episcopatum quam solis proventibus & opibus inflammantur: salutem enim populi nihili faciunt. Ex quo accidit, ut plurimi illorum Pauperes infelices existiment. Septimo, quod Panormitanus flagitat ut pro bono & utilitate Ecclesiæ ad paucos dies supersedeamus quoad Oratores Principum Moguntia redierint, velim attendat quanti sit momenti in rebus ad fidem spectantibus cunctari, diemque de die deducere: cum hæc sancta Synodus sæpissime

ex-

experta ſit parvo momento integrum annum effluere: Annon jam hic octavus annus decurrit, quo hic cum magna animi & corporis contentione, maximiſque difficultatibus ad Eccleſiam in capite & in membris emendandam conflictamur? Quid ergo amplius procraſtinare opus eſt: quando veritates fidei Catholicæ quibus de agitur jam ſæpe alias in quatuor Deputationibus Synodi, & Congregationibus generalibus examinatæ ſunt? Ad quid ergo hæc temporis prorogatio, cum hac obtenta Panormitanus non ſpondeat ſe cum ſacra Synodo velle hujuſmodi Concluſiones amplecti & tueri? Imovero, palam profitetur ſe mandatum ab Arragoniæ & Siciliæ rege habere, ne id faciat: quodque multo magis dignum eſt admiratione, ait Oratores ubi Moguntia redierint talia poſſe adferre propter quæ ejuſmodi Concluſiones omitti debeant. Quaſi vero aliquid veritate Fidei Catholicæ præſtantius & fortius eſſe poſſit, & cujus cauſa veritatem deſeramus. Unde ex Panormitani oratione claret, illum non ad accuratius examinandam aut cognoſcendam ſed validius impugnandam veritatem iſtas moras nectere. Octavo, quod urgent Concluſiones non poſſe Synodice decerni & in Acta referri, niſi Oratores Principum abſentes Synodo interſint, dicantque Sententiam, & ſi Principibus placeant ſe lubenter illas Con-

clusiones probaturos, sin minus Eugenio adhæsuros: profecto vox est tantis Prælatis indigna. Enimvero cum Synodus Constantiensis edicat, omnes cujuscumque status & conditionis existant debere statutis atque ordinationibus Generalium Conciliorum obtemperare: Contra Panormitanus perhibet Concilium in rebus ad fidem spectantibus debere principibus obsequi. Ex quo videre est, Ecclesiam eo miseriarum esse redactam, ut in rebus fidei à Principibus politicis pendeat. Ubinam illa vox Martiani Imperatoris piissimi ad Patres Chalcedonenses? *Nos*, inquit, *ad Fidem confirmandam non ad potentiam exercendam volumus Synodo interesse.* Quam præclaram Sententiam, si Principes Christiani hodie servarent, jampridem quod tam solicite quærimus expeditum foret. At certe cum res fidei definiuntur, nunquam in more positum fuit ut Oratores Principum Synodis interessent ad definiendum, quemadmodum Panormitanus persuadere conatur, sed tantum ut definita in rem judicatam mitti imperarent. Quod si Concilia in rebus ad Fidem spectantibus Mundi Principibus debent obedire: quonam pacto jam efficiemus Papam Christi Vicarium directivo & coactivo judicio Concilii subjici? Hercle quando Conclusiones quibus de agitur sanctissimæ, verissimæ, ac certissimæ sunt: si Princeps aut quispiam alius eas respuat, non Con-
Ci-

cilio, sed Christo ipsi, & Sacræ Scripturæ auctoritati refragabitur. Sed absit, inquit Arelatensis, ut hoc de optimis & Christianis Principibus cogitemus: neque enim Panormitanum de illis hæc dicere, neque nos Panormitano credere par est. Quotusquisque non observat ista Panormitanum comminisci, ut Patribus timorem incutiat, & cum timore libertatem ferendæ Sententiæ eripiat? At profecto his temporibus nihilo tepidiores aut remissiores esse debemus pro Matre nostra Ecclesia & Fide Catholica, quam olim Martyres qui Ecclesiam sanguinis sui effusione fundarunt, & post Christum Dominum Fidem confirmarunt, nobis exempla quæ sequamur relinquentes.

Verum enimvero ubi Panormitanus cum asseclis se veritate & rationum pondere victos, nec propter ordinem initio à Patribus servatum in examinandis & definiendis rebus controversis posse impedire perspexerunt, quin tres conclusiones superius positæ in Sessione publica Concilii à Cardinale Arelatensi Præside, Synodice concluderentur & in Acta referrentur: tandem in clamoribus & turbis concitandis, ferendisque dilationibus omnem spem posuerunt, ut hac via aut Cardinalem Arelatensem interturbarent, aut impedirent quo minus Synodica conclusio fieret. Quibus à Cardinale Arelatensi exploratis, se aliquantulum continuit & plane

siluit,

siluit, ac paulo post è sinu suo literas quasi aliquid diversum à conclusionibus enarraturus educit: magnoque silentio impetrato, sibi ex Galliis ficte an vere scriptum memorat, plurimos Eugenii nuncios, passim in Francia adversus Constantiensis & Basileensis Synodi Decreta concionari: docereque Papam esse superiorem Concilio, sicque viam ad schisma certissimum instruere Porro nullum remedium magis præsentaneum adversus hoc pestilens malum occurrere, quam si juxta tres veritates in quatuor Deputationibus & Congregatione generali Concilii Canonice examinatas, probatas, & conclusas, easdem pariter Synodice concluderet & confirmaret: *Quod se facere ait in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Qua Synodali conclusione facta, utrinque magni eduntur clamores, aliis Præsidem Concilii magnopere laudantibus, aliis vero cum Panormitano & sociis ingentes turbas edentibus. Sed cum adhuc superesset, ut conclusiones à duodecim viris, sicut mos erat, in Congregatione generali legerentur & in Acta referrentur, hoc etiam absque gravi motu animorum perfici non potuit: quoniam Panormitanus cum asseclis eadem aut similia iis quæ prius dixerat oggessit: quibus etiam Cardinalis Arelatensis sigillatim respondit: summa autem responsionis fuit, conclusionem Canonice factam juxta ritum

ritum & leges initio poſitas & ſemper ſervatas à Patribus: quæque hodie agerentur potius ad ſolennitatem quam ad vim & robur Actorum pertinere. Proculdubio qui juris quæſtionem abſque alio quam veritatis ſtudio, omni ſepoſito motu animi, perpenderit, expedite cognoſcet declarationem trium veritatum ſuperius ſcriptarum Canonice & legitime factam: atque ad eam rem ſufficientem Epiſcoporum numerum ſediſſe in Concilio: cum omnes Epiſcopi Galliæ, Poloniæ ſeipſis aut per Procuratores ſuos Synodo Baſileenſi tum intereſſent, & adhærerent: ſolis Italiæ & Arragoniæ Epiſcopis obſiſtentibus: quia ut ſuperius monui, Princeps Arragoniæ, Rex erat Siciliæ & Feudatarius Papæ. Certe poſtquam hæc confecta ſunt, ipſemet Panormitanus Tractatum ſcripſit, *pro auctoritate, veritate, & Juſtitia Baſileenſis Concilii*, qui legitur tomo ultimo operum Panormitani.

VI. Æneas Sylvius initio prioris libri de geſtis Baſileenſis Concilii refert Nicolaum Cuſanum virum doctiſſimum, qui in prima diſſolutione Concilii ab Eugenio tentata tres Libros de Concordantia Catholica pro Concilii auctoritate ſcripſerat, tandem ad partes Eugenii convolaſſe: *Ex his*, ait, *quamplures Moguntiam perrexerunt Eugenium ſi qua parte quirent defenſuri. Hercules autem omnium Nicolaus Cuſanus exiſtimatus eſt*,

est, homo & priscarum literarum eruditus, & multarum rerum usu perdoctus: cujusque dolendum sit tam nobile ingenium ad illa schismatis studia divertisse, ut legatione ad Græcos vigore falsi Decreti fungeretur. Hic omne studium suum omnemque conatum in defensione Eugenii collocaverat: atque nunc una, nunc alia impedimenta texebat, &c. Alphonsus Ciaconius Dominicanus in vita Nicolai V. qui Eugenio successit, memorat Nicolaum Cusanum Eugenii mandato legationem ad Franciæ Regem obivisse & creatum Cardinalem à Nicolao V. *Magister Dominus Nicolaus de Cusa Germanus ex Canonico regulari Archidiaconus Leodiensis & Protonotarius Apostolicus, Theologus Presbyter Cardinalis sancti Petri ad vincula Tit. Eudoxiæ, post Episcopus Brixiensis, qui ob doctrinam eximiam, omnium enim sui temporis Theologorum Princeps est habitus, & miram prudentiam, diversas & varias habuit ad diversos Principes Legationes: ad Regem enim Francorum missus acerrime in ejus conspectu multis adstantibus Prælatis Eugenii IV. auctoritatem & causam defendit: ipsum legitimum Pontificem, verum Christi Vicarium & Petri Successorem asserens: contra vero Felicem Antipapam in Ecclesia intrusum, & ut tali non obediendum. Deinde vero Legatus missus à Nicolao ad Fredericum Imperatorum eo tempore quo Religio Christiana ob discordiam Patrum*

in

in Consilio Basileensi maximo in periculo versabatur, mirum in modum se gessit, & maxime tanti viri enituit prudentia, pro quo missus fuit opere complevit, Religionis amator & eximius cultor fuit. Hucusque Ciaconius, qui post Onuphrium testatur Cusanum factum Cardinalem à Nicolao V. ex quo datur cognosci, permultos, qui veritatem in statu paupertatis defenderunt, eandem spe dignitatum atque pinguioris fortunæ & præsertim desiderio purpuræ Cardinalitiæ deseruisse. Quapropter apposite Joannes Major cap. XVIII. Commentariorum in Euangelium Matthæi versus finem ait, *nemini debere mirum videri quod plures Papam esse supra Concilium quam contra Concilium supra Papam doceant: Cum Papa det dignitates & beneficia Ecclesiastica, Concilium vero nihil det: imo est censor acerrimus, morum atque disciplinæ severioris assertor.* Equidem, ambitio quorum animos semel invasit, eos tanquam venenato poculo inficit ac de sede rationis deturbat.

VII. Quamquam autem Cusanus ad partes Eugenii, relicto Consilio Basileensi, quod antea strenue propugnaverat, transierit: nihilominus Libros suos *de Concordantia Catholica* nunquam retractavit, quicquid Bellarminus Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis narret in contrarium: & eam ob rem ejusdem Cusani Epistolam *ad Rodericum de Trevino* venditet. Ut autem mens Cusani pa-

pateat; hic singula Argumenta quibus Cusanus causam Eugenii fulcire annititur exhibebo, eaque analytice examinabo,

Primum ergo totius Epistolæ hoc defigit firmamentum, scilicet, nulla cujuscumque Synodi constitutione prohiberi potuisse quo minus ad eum locum convocaretur & transferretur Concilium pro unione Ecclesiæ Orientalis, qui rebus agendis magis esset idoneus atque opportunus. Ex quo infert, Eugenium potuisse omnes alias congregationes & Synodos dissolvere, & Patres Basileenses alio traducere. Cujus suæ assertionis hanc causam reddit. *Sicut potestas Pontificis non est ad destructionem bene actorum per Patres Basileenses: ita nullam esse sub cœlo potestatem quæ Papæ auctoritatem impedire aut imminuere possit, quo minus oves errantes ad ovile Christi reducat. Quamobrem statuit illos videri excæcatissimos & in Spiritu furoris extra omnem sensum fuisse, qui nescio qualem potestatem judiciariam sibi supra Sacrum Principem Ecclesiæ vendicarunt.* En scopus totius Epistolæ: hocque erit loco primi Argumenti. Cui quidem sigillatim satisdabo: quamquam enim in speciem solidum videatur, tamen ad normam veritatis nihil fallacius. Principio ludificatur à suppositione Principii, fingens hoc unum Eugenio propositum, ut Synodus haberetur in loco opportuniore rebus agendis pro Ecclesiæ Orientalis unione: idque

que Patres Basileenses voluisse impedire: quod est falsissimum. Siquidem Eugenius hunc speciosum finem quæsierat, ut Patribus libertatem statuendi auferret, atque Ecclesiæ reformationem in capite & in membris, quam Synodus Basileensis promovere conabatur, disturbaret: cujus rei testes sunt Acta Synodi Florentinæ: in quibus de emendanda Ecclesia ne verbum quidem: satis enim fuit Eugenio Synodum Basileensem dissolvere, ut voti sui compos efficeretur. Sed gratis demus Cusano locum opportunum deligi debuisse ad Græcos excipiendos: atque Avinionem quam ipse Eugenius cum Græcis approbaverat, non satis commodam fuisse rebus illis peragendis: an inde sequitur Eugenium caput ministeriale Ecclesiæ quasi absoluta polleret auctoritate supra Ecclesiam universalem invita Synodo locum alium deligere potuisse? saltem par erat ut Patres moneret locum opportuniorem Avinione extra Italiam cooptarent: quando Italia suspecta erat Patribus: quia optime scirent ibi suffragia pro Ecclesiæ reformatione nullo modo libera esse: Italis enim omnes abusus & corruptelæ magno sunt quæstui. Rogo te Lector, finge hic aliquem Oeconomum aut Procuratorem tum à Patrefamilias, cum à familia delectum, velle omnia familiæ negotia pro animi sui arbitrio invita familia peragere:

hoc ipsum est certe quod Eugenius confecit. Tertio, an ut Græci remotissimi ab Ecclesia Latina ad unionem invitarentur, Bohemi, & Germani maxime propinqui, utque ait Julianus Cardinalis, maxime fideles (de Germanis loquor) omni spe unionis excludi debuerunt? Equidem prætextus tum directe ab Eugenio quæsitus juvandorum & uniendorum Græcorum, non modo Bohemos obduruit, verumetiam accessionem postea Germaniæ præbuit, ut schisma Lutheri tueretur, ob desperatam Ecclesiæ reformationem. Quotusquisque non videt Eugenio incubuisse ex officio utrique unioni Bohemorum scilicet & Græcorum diligentem navare operam? Ac illud agere & hoc non relinquere, sicut Patribus Basileensibus propositum erat. Cæterum de Bohemorum unione ideo magnum fit silentium in Syodo Florentina, quia absque Ecclesiæ emendatione ad unionem nullo modo allici poterant. Quarto, excæcatissimus est Cusanus dum Patres Basileenses excæcatissimos appellat quia sibi potestatem Judiciariam super Papam attribuant: an immemor est eorum quæ toto libro II. *de Concordantia Catholica* doctissime & verissime scripsit pro Ecclesiæ auctoritate supra Papam, congruenter ad Decreta IV. & V. Sessionis Constantiensis, quæ directivum & coactivum tribuunt Judicium Synodo in Pontificem? recte qui-

quidem, *quoniam Ecclesia collectim sumpta claves per dominium, proprietatem, & architectonice possidet, Papa autem quoad ministerium & exequutionem duntaxat.*

Secundo, Cusanus argumentatur Christum omnia continere, atque creaturas tantum habere potestatis & bonitatis quantum de gratia Christi participant: ita ut nemo Deo gratus esse possit nisi in Filio & per Filium. Unde Apostolus docet *omnem plenitudinem Divinitatis inhabitare corporaliter in Christo* cap. 1. ad Colossens. Hacque de causa Ecclesiam dici Corpus mysticum Domini: quia est ipsamet gratia Jesu Christi explicata, nota & visibilis. Nam Ecclesia quædam habet sacra signa eo fine instituta, ut illorum opera & beneficio eos cognoscamus & secernamus ab aliis qui sunt Christi: adeo ut qui ejusmodi signis sensibilibus Ecclesiæ insigniti & manifesti non sunt, de Ecclesia non sint. Quæ Collectio Cusani verissima est, nec quicquam ejus causæ favet: quoniam Ecclesia est Sponsa Christi, cujus gratiam habet pro dote, eamque per proprietatem & architectonice possidet: Papa vero quoad ministerium & velut Oeconomus ac Instrumentum Ecclesiæ: *Quare quicquid est Papa, per & propter Ecclesiam Christi Sponsam est: à qua etiam peccatorum suorum remissionem petere, hocque Symbolum Fidei more aliorum hominum profiteri tenetur: Credo*

unam sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum Communionem, remissionem peccatorum. Siquidem Papa Sacerdotium Christi & peccatorum suorum remissionem accipit ab Ecclesia Matre sua.

Tertio, sicut Ecclesia suo quidem modo perfecta & visibilis est: Ita & habere caput visibile Summum Pontificem ex hominibus assumptum: In quo Ecclesia ipsa est complicative, contracte, & repraesentative, tanquam in uno primo Confessore Christi. Siquidem Principatus Papae est ipsamet Ecclesia complicata, contracta, & repraesentata. Imo etiam quilibet Episcopus & Rector Ecclesiae potestatem Petri contracte participat. Rependo Papam quidem esse caput visibile Ecclesiae, sed duntaxat ministeriale, quia est solummodo minister & Instrumentum non Auctor vel causa efficiens gratiae. Nam gratia est tanquam forma, vita, & anima Ecclesiae, quae à solo Christo capite essentiali visibili manat: natura enim Christus visibilis est; quamquam non sit necesse illum semper actu videri. Concedo similiter Cusano, Papam complicate & contracte Ecclesiam repraesentare, sicut & quemcumque Episcopum suam dioecesim, & Parochum suam Parochiam: quemadmodum Imperator Germaniae Imperium, & Rex Poloniae regnum à quo eligitur referunt. Sed duplex est repraesentatio, altera

sum-

ſumme perfecta, explicata, atque omnibus numeris abſoluta: altera imperfecta, diminuta, & involuta. Ut autem regni Poloniæ Ordines perfecte atque explicate regnum repræſentant, ejuſque nomine & auctoritate Regem deligunt eique regiam poteſtatem revera conferunt: Ita & Concilium generale perfecte atque explicate Eccleſiam repræſentat, ut alias docuimus. Quod autem ſubinfert, quemlibet Epiſcopum & Rectorem Eccleſiæ complicative & contracte participare poteſtatem Papæ, petitio eſt Principii, qua ſupponit Chriſtum, uni & ſoli Petro & non toti Ordini Hierarchico ſacerdotium ſuum cum poteſtate clavium primario & Architectonice contuliſe. Nam quilibet Epiſcopus & Parochus, tanquam Chriſti & Eccleſiæ miniſter, poteſtatem totius ſuppoſiti Eccleſiæ, non unius tantum membri Papæ ſcilicet, repræſentat. Quare omnes ſacerdotes Chriſti & Eccleſiæ non Papæ Auctoritate claves habent & à peccatis abſolvunt ut alias demonſtratum eſt.

Quarto aſſerit, Eccleſiam, quæ à Petri confeſſione & revelatione initium habuit, nihil aliud eſſe quam unionem fidelium in confeſſione Petri: atque varia membra corporis Eccleſiæ venire in conſortium & partem illius confeſſionis: ac totam eſſe in toto & totam in qualibet parte Eccleſiæ. Totum hoc argumentum concedimus: nimirum fidei Confeſſionem factam à Petro nomine Eccleſiæ,

quam Petrus repræſentabat ratione ſui Primatus: Addo amplius hanc confeſſionem *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, eſſe petram & fundamentum æternum ac immobile Eccleſiæ, & nullum de Eccleſia cenſendum niſi eam fidem integre & totaliter teneat cum B. Petro: qua de re pluribus in defenſione libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate.

Quinto, Petrum originaliter complecti & poſſidere varietatem omnium ordinum & poteſtatum Eccleſiæ in fidei unitate, adeo ut poteſtas Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Presbyterorum ſit contracta in Petro ejuſque ſucceſſoribus poſt Chriſtum, juxta B. Leonis Magni ſentententiam Sermone 111. in anniverſario die ſuæ aſſumptionis ad Pontificatum: ubi ait, ſi quid cum Petro commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid aliis non negavit. Hæc collectio Cuſani mera eſt petitio Principii, quaſi Dominus ſoli Petro ſacerdotium ſuum (quod eſt cauſa efficiens totius Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, & ad quod claves tanquam potentiæ ad eſſentiam referuntur) immediate contuliſſet: imo certiſſimum eſt, & alibi probatum à me & ab ipſo Cuſano, ordinem Hierarchicum collectim & in commune ſumptum Sacerdotium Chriſti cum clavibus Architectonice habuiſſe in Apoſtolis, qui ordinem Hierarchicum referebant.

Sex-

Sexto, repugnare Principem eo in regno in quo est Princeps simul præesse atque subesse: eamque ob rem merito dictum à Sapientibus, *Principem legibus solutum esse, nec posse à subditis judicari*: ac scelus esse intolerandum & execrabile quocumque colore scissuram obedientiæ & unionis moliri. At Cusanus hic vocis æquivocatione *præesse aut subesse* Lectorem frustratur: ut enim Imperator aut Rex Poloniæ verbi causa subsunt Imperii & Regni Ordinibus à quibus deliguntur & potestatem suam derivant: præsunt autem atque imperant singularibus hominibus & Provinciis Imperii & Regni: similiter Papa toti Ecclesiæ collectim sumptæ & congregatæ in Concilio subjicitur: contra autem præest atque imperat singularibus Ecclesiis per mundum disgregatis, ratione primatus qui quantus quantus institutus est à Christo in ordine ad regimen Aristocraticum. Quocirca æque schisma committitur à Pontifice, si leges Aristocratici regiminis violet, opprimatque, quam si Aristocraticum regimen, id est Patres in Concilio generali sedentes, vellent Ecclesiæ primatum tollere aut labefactare: hoc autem factum à Patribus Basileensibus nemo potest ostendere: contra autem lippis & tonsoribus notum est, Eugenium absoluta potestate, quam non habet à Christo sed à mundo, regimen Aristocraticum funditus evertisse, hacque de causa

schismati Bohemorum & Germanorum viam munivisse.

Septimo, contendit omnem principatum in Ecclesia sub primo principatu subsistere atque in ipso comprehendi, complicari, & contineri: Ideoque omnem principatum sive spiritualem sive temporalem, quatenus Ecclesiæ subservit, esse in Ecclesia: contra autem non esse in Ecclesia quatenus huic fini & unitati resistit, cum non sit particeps unitatis Ecclesiasticæ. Repono, duplicem esse in Ecclesiæ principatum, alterum Christi Domini, qui cum sit auctor & causa efficiens gratiæ, Ecclesiæ, & sacramentorum, per potestatem excellentiæ, proinde Ecclesiam absolute & Monarchice gubernat: secus quam accidit Romano Pontifici, cujus principatus essentialiter ministerialis spiritualis est temperaturque Aristocratico regimine; quare directivo & coactivo judicio Concilii generalis subest, ut Patres Basileenses post Constantiense Concilium decreverunt & ipse Cusanus antequam desiderio Cardinalatus æstuaret lib. II. *de Concordantia Catholica* docuit. Quæ cum ita sint, insurgit, Papam si Decretis Concilii pervicaciter obluctetur unitatem & communionem sanctorum lacerare & in hunc fidei Articulum allidere Credo unam sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem: quandoquidem sanctorum communio neque im-

imperatur neque cogitur sed suaviter, Canonice & Synodice suadetur.

Octavo, Ecclesiam non subesse Papæ in eis quæ in ejus Principatu & potestate non complicantur & continentur: ut si verbi causa aliquid fieri mandaret quod non tenderet ad Ecclesiæ ædificationem sibi creditam: aut si contra statuta aliquid constitueret, tum ei liceret resistere. Imo etiam ab eo recedere inconveniens non esset, modo ejusmodi recessus Ecclesiæ unitatem non scinderet. Quod argumentum causæ Patrum Basileensium favet; docetque aliquem posse summo Pontifici resistere, & tamen esse de Ecclesia; ut asserit Joannes Major & exemplo Apostoli resistentis Petro in faciem confirmatur Galatarum 1. Verum quod Cusanus attexit, modo ejusmodi recessus Ecclesiæ unitatem non scindat, æquivocatione laborat. Ille enim qui contra statuta Patrum aliquid patrat, unitatem certe & sanctorum communionem scindit: non autem ille qui statuta servat, aut servari curat: & hujus controversiæ non Papa sed Ecclesia judex est: ut comprobat factum Apostoli S. Petrum corripientis: hic enim si Paulo recte monenti obtemperare noluisset, & suæ opinionis fautores aliquos habuisset, certissimum est Ecclesiam congregatam in Concilium hujus controversiæ judicem futuram. Quocirca Gersonius contendit, reprehensionem factam à Paulo

æqui-

æquipollere appellationi ad Concilium. Nam Papa Sanctorum communionem aut regimen Aristocraticum sequi tenetur : unde Matihæi XVIII. Dominus pollicetur si duo aut tres congregati fuerint in nomine suo, se in medio illorum futurum : qua voce omnem excludit singularitatem, ut alias probavimus.

Nono, ubi de mente sacri Principis non constat, semper pro sacro Principe esse præsumendum. Concedo totum ; siquidem communis est vox & regula Theologorum in dubiis quæ Pontifex imperat semper ei esse obtemperandum : quod intelligitur de singularibus hominibus, aut Ecclesiis particularibus disgregatis ; non de universali Ecclesia congregata in Synodum, quæ immediate auctoritatem Architectonicam habet à Domino, cujus judicio directivo & coactivo Papa subditur : præterea non dubium sed certissimum & notissimum erat Patribus Basileensibus, Eugenium non aliam ob causam voluisse transferre Synodum in Italiam prætextu Græcorum uniendorum & commodius excipiendorum, quam ut libertatem decernendi Synodo auferret & Ecclesiæ reformationem dilapidaret : Idque tum à priori cum à posteriori demonstratur : à priori quidem ex prima Basileensis Synodi dissolutione, quam omni conatu Eugenius ad effectum perducere voluit : à posteriori vero, quia in Syno-

Synodo Florentina de Ecclesia melius emendanda nullum emissum verbum: contra quam universæ Nationes Christianitatis in Synodo Constantiensi & Basileensi flagitabant: quoniam hoc apprime profuturum cernerent ad Bohemos reconciliandos & impediendum futurum schisma Germaniæ. Et hinc illæ piorum lacrymæ, ob Ecclesiam schismate Lutheri & Calvini sine ulla spe reformandæ Ecclesiæ discerptam.

En igitur summa rationum Cusani pro Eugenio. Quod autem Bellarminus ait Cusanum libros de Concordantia Catholica scripsisse cum esset juvenis quæstio est facti: quæstio autem Juris tribus illis libris doctissimis tam clare praxi Ecclesiæ Catholicæ comprobatur, ut ad regiminis Aristocratici Ecclesiæ vindicias, & Ecclesiam Catholicam schismatibus laniatam concordandam nihil robustius ac firmius promi valeat. Cæterum, negamus Bellarmino Cusanum fuisse juvenem quando illos libros edidit, ad minus enim quadraginta annis natus erat: Idque colligitur tum quia Synodo Basileensi interfuit quo juvenes mitti non solebant, nisi forte essent ministri Concilii ut de Ænea Sylvio dictum est supra: tum quia libri illi de Concordantia testantur Cusanum tum temporis innumeros libros legisse quos impossibile est illo præsertim seculo, quo ars Typographica nondum libros communes effecerat,

cerat, hominem aliquem ante quadragesimum & amplius annum perlegisse. Siquidem Cusanus Patres Ecclesiæ, Acta omnium Conciliorum, Historiam Ecclesiasticam, & Prophanam cum Jure Canonico & Civili perlegerat.

Verum me ad Patres Basileenses refero qui Sessione XXXIV. VII. Calend. Julii MCCCCXXXIX. Eugenium Papam abdicant & ab eo die in Actis Synodalibus vocant *Gabrielem*.

Sessione vero XXXV. VI. Idus Julii ejusdem anni agitur de stabilitate & continuatione Concilii Basileensis juxta Decretum Sessionis XI.

CAPUT. V.

I. *Sessione* XXXVI. *Decretum editur de immaculata Conceptione B. Virginis: & quænam causa fuerit Patribus ut hoc statuerent.*

II. *Pium Scholæ Parisiensis propositum in tuenda immaculata Conceptione B. Virginis à ducentis atque amplius annis.*

III. *Post Basileense Concilium Schola Parisiensis Decretum edit de immaculata Conceptione tanquam fide Catholica tenendum: atque Sacramentum super ea re à suis alumnis exigit.*

IV. *Condemnatio propositionum Fratris Joannis Viridis Dominicani Auctoritate Parisiensis Episcopi roboratur.*

V. *Historia eorum quæ gesta sunt in Academia Parisiensi quando Maldonatus oppugnavit immaculatam Conceptionem* B. *Virginis, & de Parisiensis Episcopi sententia in eam rem.*

VI. *Antiqui Patres & Doctores Ecclesiæ, semper in constituenda religione, prius ad ea quæ sunt præcepti & necessitatis, quam quæ consilii processerunt: & de statu hujus controversiæ qui triplici nititur fundamento.*

VII. *De discrimine inter reatum & obligationem, actum & habitum peccati originalis: atque B. Virginem habitu solum non actu peccatum originale contraxisse in Adamo.*

VIII. *Præservationem B. Virginis à peccato originali nihilo plus habere difficultatis quam sanctificationem Jeremiæ, S. Joannis Baptistæ, aut aliorum Sanctorum.*

IX. *Argumenta Scholæ Parisiensis pro immaculata Conceptione partim divino, partim naturali & Canonico Jure nituntur: ac de genuino sensu hujus Prophetiæ* Inimicitias ponam inter te & mulierem. *Genes.* III.

X. *Probationes à jure naturali.*

XI. *Auctoritates Patrum Antiquorum.*

XII. *Probationes à Jure Canonico sunt in triplici differentia, quarum prima ducitur à Decreto Patrum Basileensium, quod vindicatur ab Cajetani & Maldonati objectionibus.*

XIII. *Altera differentia petitur à cultu & celebratione festi Conceptionis, depelluntur que rationes Adversariorum in contrarium.*

XIV. *Tertia ab oratione collecta antiquo Breviaro Romano inserta.*

XV. *Jesuitæ, illa ipsa Argumenta quæ per Maldonatum oppugnarunt, quam primum ludum aperuerunt Lutetiæ, ea deinceps per Suarem, Alphonsum Salmeronem, & Vasquesium tanquam fide Catholica tenenda propugnarunt.*

XVI. *Confutatio Argumentorum quæ Maldonatus instruxit contra probationes petitas à Jure Canonico & cultu festi immaculatæ Conceptionis.*

XVII. *Fundamenta Adversariorum dogmatice expenduntur ac depelluntur: solumque probant B. Virginem habitu non Actu contraxisse peccatum originale.*

XVIII. *Quonam sensu B. Virgo orationem Dominicam & præsertim hanc clausulam* dimitte nobis debita nostra *frequentarit.*

XIX. *Mortem Naturalem B. Virginis, naturæ defectum non peccati originalis effectum arguere.*

XX. *An fieri possit, ut una atque eadem opinio ab aliis fide Catholica, ab aliis autem non fide Catholica teneatur absque schismate.*

ANno M CCCC XXXIX. XV. Calend. Octobris Sessione XXXVI. Constitutio de immaculata Conceptione B. Virginis Mariæ in hæc verba editur. *Sacrosancta generalis Synodus Basileensis in Spiritu sancto legitime congregata universalem Ecclesiam repræsentans ad perpetuam rei memoriam. Elucidantibus divinæ gratiæ mysteria mercedem gloriosam repromisit æterna Dei Patris sapientia dum ait, qui elucidant me vitam æternam habebunt: quod etiam de gloriosa virgine, quæ ipsam Patris sapientiam Dei Filium æternum in utero pertulit, ac mundo peperit sacrosancta legit Ecclesia. Nam quicquid de dignitate & sublimitate Virginis educitur in lucem, hoc non dubium est ad laudem & honorem Filii sui pertinere: & qui honorificant gratiam & sanctitatem Matris, honorificant & elucidant gloriosum nomen filii ejus qui ipsam sanctificavit & replevit gratia. Unde si in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ à Domino Deo est, præclara merita parturit, in ea re specialiter fructus uberrimos afferre speranda est, quæ sanctificationem & dedicationem templi illius concernit: In quo ante secula antequam terra fieret, & ab æterno sibi mansionem ordinavit, prima & æterna veritas. Id quoque maxime congruit, ut pax habeatur in quæstionibus concernentibus sanctitatem illius per quam pax est diffusa in terris. Hactenus vero difficilis quæstio in diversis partibus & coram hac sancta Synodo super Conceptione ipsius gloriosæ Virginis Mariæ*

riæ Matris, & exordio ſanctificationis ejus facta eſt: quibuſdam dicentibus ipſam Virginem & ejus animam per aliquod tempus aut inſtans temporis ſubjacuiſſe actualiter originali culpæ: aliis autem è converſo dicentibus à Principio creationis ſuæ Deum ipſam diligendo gratiam eidem contuliſſe per quam à macula originali illam Beatiſſimam perſonam liberans & præſervans ſublimiori ſanctificationis genere redemit, cum fundaret eam altiſſimus, ipſe & ipſam fabricaret Filius Dei Patris ut eſſet mater ejus in terris. Nos vero diligenter inſpectis auctoritatibus & rationibus, quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriuſque doctrinæ coram hac ſancta Synodo allegatæ ſunt, aliiſque etiam plurimis ſuper hac re viſis & matura conſideratione penſatis, doctrinam illam differentem glorioſam Virginem Dei genitricem Mariam præveniente & operante Divini numinis gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ ſcripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam definimus & declaramus: nullique de cætero licitum eſſe in contrarium prædicare & docere. Renovantes præterea inſtitutionem de clebranda ſancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam quam per

alias

alias Ecclesias VI. *Idus Decembris antiquâ & laudabili consuetudine celebratur ; statuimus & ordinamus eandem celebritatem præfata die in omnibus Ecclesiis, Monasteriis, & Conventibus Christianæ Religionis sub nomine Conceptionis festivis laudibus colendam esse : cunctisque fidelibus vere pœnitentibus & confessis ea die Missarum solenniis centum, primis autem vel secundis Vesperis totidem, sermoni vero verbi divini de ea festivitate interessentibus centum quinquaginta dies concessione perpetuis temporibus duratura de injúnctis sibi pœnitentiis hac sancta Synodus largitur. Datum Basileæ in Sessione nostra publica in majori Ecclesia Basileensi solenniter celebrata*, XV. *Kalendas Octobris Anno à nativitate Domini* MCCCC XXXIX.

II. Cæterum, quoniam ratione hujus Constitutionis Patrum Basileensium grande exarsit dissidium inter Academiam Parisiensem & Jesuitas Anno MDLXXIV. Hic operæ pretium est amplius de hac controversia videre, & quædam scitu digna commemorare quæ magna ex parte ex Commentariis Magistri Jacobi Fabri Syndici facultatis nostræ hausi : quos Commentarios Faber reliquit in tabulario Scholæ Sorbonicæ. Ut autem de re tota Lector judicare possit eam paulo altius retexam ; nimirum undecimo seculo post Christum natum institutum fuisse officium quodtidianum B. Mariæ in horas

ras Canonicas districtum more officii divini quod Deo dependi consuevit, hocque primum à Monachis Benedictinis introductum deinde ab aliis usitatum. Tandemque seculo S. Bernardi Canonicos Lugdunenses omnium primos in officio divino mentianem fecisse B. Virginem absque labe originali conceptam atque in illos S. Bernardum Epistola CLXXIV. acerrime scripsisse. Postea autem, cum sequenti seculo Scholastica Theologia, quæ facultatem dat de omnibus rebus in utramque partem disputandi, radices egisset Parisiis, Franciscanos & Dominicanos, pro innata inter utrumque ordinem æmulatione de hac re acrius disputare cœpisse; adeo quidem ut S. Bonaventura integrum Psalterium Davidis in B. Virginis laudes immutarit & decantarit: contra autem Dominicani hoc improbarint & B. Virginem more aliorum hominum in peccato originali conceptam libris suis concionibus, & lectionibus quotidianis magno cum stomacho asseruerint: Tandem vero facultatem Parisiensem, in qua velut in Theatro hæ concertationes publice edebantur, perpensis utrinque rationum momentis, primum pio quodam & laudabili proposito, propter honorem & reverentiam Christo debitam, in partes Franciscanorum abiisse, & asseruisse B. Virginem sine labe originali conceptam: neque quemquam passum in Acade-

mia Parisiensi partem quam Dominicani propugnabant tueri, ut ex Actis Scholæ nostræ liquet, quorum Breviarum Magister Jacobus Faber à me supra laudatus excerpsit, quod hic ergo exscribam. Et primo quidem, cum Anno MCCCLXXXVII. graves motus exciti fuissent Parisiis ob quatuordecim Propositiones Fratris Joannis de Montesono Hispani Ordinis Dominicanorum qui Lutetiæ studebat; prædictæ Propositiones à Schola Parisiensi damnatæ sunt: quas inter hæ duæ immaculatam Conceptionem B. Virginis concutiebant, leguntur-que in Commentario qui ad calcem Magistri Sententiarum editus est. Enimvero, cum ille Frater perhiberet, *esse expresse contra fidem, non omnem hominem præter Christum contraxisse ab Adam peccatum originale*: Facultas Parisiensis contra in hunc modum decrevit: *Hæc propositio revocanda est tanquam falsa & scandalosa, & piarum aurium offensiva & præsumptuose asserta, non obstante probabilitate quæstionis utrum B. Virgo fuerit in peccato originali concepta.* Altera Propositio: *esse expresse contra fidem B. Virginem Mariam & Dei genitricem non contraxisse peccatum originale.* In quam propositionem virgam censoriam Schola nostra ita distrinxit: *Hæc propositio revocanda est tanquam falsa scandolosa, præsumptuose asserta, & piarum aurium offensiva.*

An-

Anno M CCC LXXXVIII. Gulielmus Ebroicensis Episcopus Dominicanus Caroli VI. Confessarius, cum ejusdem Fratris Joannis de Montesono propositiones mordicus tueretur, facultas Parisiensis instante & procurante Petro Alliaceno tum Cancellario Parisiensi & magno Collegii Navarræ Magistro, eundem Episcopum Ebroicensem coram ipso Rege atque Principibus regii sanguinis, virisque primariis sacri Consistorii, in regia Lupara sic adegit ad palinodiam. *Ego Gulielmus Ebroicensis Episcopus male motus, inconsulte & male informatus dixi quod propositiones aliquæ condemnatæ fuerunt per Universitatem, quæ sunt veræ & Catholicæ, & quod auderem eas prædicare & dogmatizare coram Rege & Papa, aut alias ubicumque. Item, addidi & dixi quod Magistri Universitatis Parisiensis non intelligebant doctrinam sancti Thomæ, &c. Acta fuerunt hæc in domo regali de Lupara Parisiis, videlicet in camera dicti Domini nostri Regis sub anno Domini,* MCCCLXXXVIII. *Indictione* XII. *die Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Domini Clementis divina providentia Papæ* VII. *anno* XI. Verum Frater Joannes de Montesono, cum ad sanctam Sedem Apostolicam provocasset, ejus causa non modo Avinioni coram Clemente VII. verum etiam Romæ apud Urbanum VI. acta est, ejusque Pro-

positiones ibidem damnatæ sunt, ut ex Actis quæ exstant in facultatis nostræ tabulario, necnon ex Epistola Gersonii ad Studentes Collegii Navarræ liquet. Porro facultatis Parisiensis tabulæ testantur Dominicanos causam prædicti Fratris de Montesono sæpe renovasse totiesque damnatos à facultate quoties id tentarunt: hocque usque ad tempora Basileensis Synodi continuavit: & causam Decreti faciendi Patribus Basileensibus præbuisse arbitror. Sed qui Eugenio patrocinabantur, eo etiam confidentius constitutionem Basileensem de immaculata conceptione oppugnabant sicut Actis Scholæ nostræ dignoscimus. Quocirca ut majores nostri huic malo mederentur, anno MCCCCXCVI. sequens Decretum evulgarunt.

III. *Cum multas majores nostri fortissimi ac Catholicæ fidei milites nascentes variis temporibus hæreses nullis unquam laboribus, nullis periculis deterriti sacris suis Disputationibus oppresserint: in illos tamen errores qui immaculatæ & gloriosissimæ Dei genitricis perpetuæque Virginis Mariæ laudem & dignitatem violare visi sunt, peculiari quodam sancto perfectoque odio vehementius insurgendum, acriusque sibi pugnandum semper judicarunt. Quandoquidem, eam contumeliam ad Dominum nostrum Jesum Christum in utrumque parentem piissimum maxime pertinere arbitrabantur. Quod enim Ecclesiasticus* LII. *capite de Patre scribit, de Matre*

tre quoque verissimum est, ac de utroque parente interpretandum: Ne glorieris, inquit, in contumelia Patris tui, non enim est tibi gloria sed confusio: gloria enim hominis ex honore Patris sui, & dedecus Filii Pater sine honore. Cum itaque proximo seculo quæstio de puritate conceptionis felicissimæ Dei & Domini nostri Jesu Christi genitricis Mariæ, solito frequentius agitari cœpisset, Spiritu Sancto scilicet ejus rei veritatem aliquando propalari volente, diligentius utriusque partis libratis rationibus, primum pro tempore suum prudentissime suspenderunt judicium. Demum in eam partem inclinationes quæ Virginis gloriæ & puritati adstipulari videbatur: ita eorum vanissimam temeritatem disputando confutaverunt, qui citra efficacem probationem Virginem in originali peccato fuisse conceptam obstinate contendebant: ut contrariam quæstionis partem, quæ Virginem dum conciperetur speciali Dei numine ab originali macula fuisse immunem affirmat, & pietati, fidei & rectæ rationi, & Scripturis divinis valde quadrantem decernerent. Quæ Sententia paucos post annos in Sacro Basileensi plenario Concilio, post longam ejus quæstionis disputationem gravissimamque deliberationem Spiritu Sancto inspirante placuit: ut eam tandem doctrinam quæ beatissimam Dei genitricem Mariam cum conciperetur ab omni prorsus peccati originalis labe speciali singularique Dei gratia

fuisse liberam asseruerit & docuerit, tanquam piam, Ecclesiastico cultui, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Scripturæ Sacræ consonam, ab omnibus Catholicis approbandam, amplectendam, & tenendam definierit: contrariamque assertionem deinceps doceri defendique sub interminatione divini judicii vetuerit. Quod sanctum Synodi Decretum, cum omnibus Ecclesiarum, tum etiam totius populi Christiani judicio, consensu ac Religione comprobatum confirmatumque videamus, non possumus quorumdam vanam superbiam, temerariam insanamque obstinationem non admirari, non indigne molesteque ferre, qui hoc nostro tempore, ejusmodi piam & Religiosam doctrinam Universalis Synodi & Ecclesiæ, quæ juxta Christi promissionem errare non potest, judicio auctoritateque probatam, aut oppugnare aut in dubitationem revocare non verentur: implacabile impiissimumque bellum adversus piissimæ Dei genitricis eximiam dignitatem gerentes. Quorum furori, ut alacrius fortiusque occurramus atque resistamus, pro nostra professione, ordine, & gradu majorum nostrorum vestigia sequentes, Universi tertio congregati, post multam, gravem & maturam deliberationem in ejus piissimæ doctrinæ (quæ benedictissimam Dei Matrem ab originali peccato Dei singulari dono fuisse præservatam affirmat, quamque jampridem veram credidimus & credimus) defensionem ac propugnatio-

nem

nem speciali Sacramento conjuravimus, nosque devovimus. Statuentes ut nemo deinceps sacro huic nostro Collegio adscribatur, nisi se hujus Religiosæ doctrinæ assertorem, strenuumque propugnatorem semper pro viribus futurum simili juramento profiteatur: quod si quis ex nostris, quod absit, ad hostes Virginis transfuga contrariæ assertionis, quam falsam, impiam, erroneam judicamus, spreta non nostra tantum sed Synodi & Ecclesiæ, quæ proculdubio summa est auctoritate, patrocinium quacumque ratione suscipere ausus fuerit, hunc honoribus nostris omnibus privatum atque exauctoratum à nobis & consortio nostro velut Ethnicum & Publicanum procul abiiciendum decernimus.

Vos ergo appellamus & convenimus reverendissimi Pontifices Ecclesiarum Christi, Pastores & duces, nobiscum Virginem sanctissimam Dei Matrem, & omni laude dignissimam ab originali peccato Dei singulari dono fuisse præservatam credite, prædicate, prædicantesque vestra benedictione, opibusque juvate. Et per Jesu Christi misericordiæ viscera ejusque Matris intemeratæ Virginis charitatem obtestamur, ita pro vestro officio & divina auctoritate nostris, imo potius divæ Mariæ hostibus fortiter resistite, vestris eos finibus abigite & multatos expellite: ut religiosa populi Christianissimi in gloriosissimam Dei genitricem unam humani generis spem, Patronam & Matrem devotio, pietas, & charitas in-

dies magis ac magis foveatur, augeatur, accendatur, rem proculdubio pientissimo ejus Filio Domino nostro & redemptori Jesu Christo facturi gratissimam atque jucundissimam, & huic quoque cujus curam geritis populo fructuosissimam. Datum Parisiis apud S. Maturinum pro Prima congregatione III. *die mensis Martii, anno Domini*, M CCCC XCVI. *Secunda congregatione die* VI. *ejusdem mensis Martii, & pro Tertia congregatione apud Augustinenses, in loco capitulari die Jovis* IX. *ejusdem mensis Martii post missam de conceptione per juramentum celebratam, publicatumque die* XXIII. *mensis Augusti, anno* M CCCC XCVII. *apud sanctum Maturinum in congregatione per juramentum super hoc specialiter facta ac disputatione Sorbonica ejusdem mensis die* XXVI. *Assistentibus Domino Rectore Universitatis Parisiensis: reverendissimo in Christo Patre Archiepiscopo, Bituricensi Episcopo Septen cumpluribus Abbatibus, Consiliariis Regis & quampluribus Doctoribus tam in Decretis quam in Medicina cum Domino Decano & Magistris ejusdem facultatis supra hoc deputatis.*

Hic est notandum à die publicationis hujus Decreti Scholæ Parisiensis in more positum, ut omnes Doctores & Baccalaurei facultatis Theologiæ Parisiensis se hoc obstringerent Sacramento coram tota facultate, Decano sic interrogante & stipulante: *Jurabitis quod tenebitis determinationem Facultatis de con-*

ce-

ceptione immaculatæ Virginis Mariæ, videlicet, quod in sua conceptione præservata fuit ab originali labe: Respondetque Doctor aut Baccalaureus, JURO. Quæ Sacramenti formula ex præscripto Constitutionis Patrum Basileensium edita est: nimrum, ut id velut consonum fidei Catholicæ credatur, atque juretur. Quare Jodocus Clictoneus, lib. *de Conceptione*, hoc Scholæ Parisiensis Jusjurandum *fidei Sacramentum* nominat, Joannes autem Major Doctor Parisiensis III. Sententiarum, dist III. quæst. I. *concludit post determinationem factam in Basileensi Concilio esse hæreticum tenere B. Virginem conceptam in peccato originali*: Et ita patet facultatem Parisiensem, cum ante Synodi Basileensis Decretum pio quodam proposito defenderet conceptionem immaculatam B. Virginis, postea id ipsum tanquam fide Catholica credendum proposuisse.

IV. Quocirca anno Domini, MCCCCXCVII. die XIX. Septembris cum Frater Joannes Viridis Dominicanus in publicis concionibus quas habebat Rothomagi tres istas asseruisset Propositiones, Prima, *quod B. Virgo Maria purgata fuisset ab originali culpa*: Secunda, cum peteret, *quonam modo poterat Orationem Dominicam dicere, si non concepta fuerat in peccato originali: maxime quantum ad hunc Articulum, dimitte nobis debita nostra.* Tertia, *illos nullo modo peccare qui assererent B. Virginem conceptam esse in peccato origi-*

origi-

originali : imovero alios omnes qui docerent contrarium peccare mortaliter vel esse hæreticos & excommunicari à Sixto IV. Cum, inquam, memoratus Frater hæc asseruisset, facultas Sorbonica hanc censuram adversum edidit : quam Officialis Episcopi Parisiensis suo diplomate, ejusdem Episcopi Parisiensis mandato tum auctoravit : *Prima Propositio est falsa, impia & piarum aurium offensiva : à devotione fidelium de immaculata conceptione gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi retractiva : cultui Ecclesiastico, rectæ rationi, Sacræ Scripturæ & fidei Catholicæ dissona : revocanda publice & reparanda. Secunda, hæc quæstio si fuit mota non erat sine bona solutione relinquenda, nec deinceps sic movenda est : cum sine suspicione injuriæ & blasphemiæ præfatæ Virginis felicissimæ sic moveri non possit. Tertia Propositio, quantum ad primam partem, est falsa, impia, piarum aurium offensiva, à devotione fidelium de immaculata conceptione beatissimæ Virginis Mariæ retractiva, cultui Ecclesiastico, rectæ rationi, Sacræ Scripturæ & fidei dissona. Secunda pars est temerarie prædicata, & scandalosa. Quantum ad tertiam partem, non est similiter credendum SS. D. nostrum PP. Sixtum taliter dicentes excommunicasse & præsertim ad sensum quem iste prætendit.*

Cæterum, ab eo tempore quo Schola nostra Propositiones Fratris Joannis Viridis nota cen-

censoria compunxit, non est auditum quemquam vel in Universitate Parisiensi, vel ex ejusdem Universitatis alumnis aut professoribus quicquam adversus immaculatam Conceptionem B. Virginis dixisse, aut scripsisse usque ad Annum MDLXXIV. Tum enim Joannes Maldonatus qui in Collegio Claromontano Theologiam profitebatur de industria & captato consilio hanc intempestive movit controversiam, quo Sorbonicis Doctoribus invidiam crearet apud Curiam Romanam, ut statim dicetur.

V. Quamprimum autem Maldonatus de hac re cœpit velitari multis dissidiis & scandalis occasionem præbuisse tum inter Scholasticos tum inter Cives ipsos Parisienses Scholæ Commentaria memorant: atque Magistrum *Joannem Denisetum Rectorem Academiæ*, ut ejusmodi scandalis obviam iret, statim quatuor Facultates Universitatis ad Comitia generalia evocasse: conquestumque publice de Maldonato, quod contra omnem prudentiæ, pietatis, & charitatis sensum, occasionem rerum novarum & schismatis serendi ac statutorum Parsiensis Academiæ conculcandorum captare videretur; Idque ab hominis Christiani mente (cujus omnia studia & actiones pacem atque dilectionem pro fine habere debent) prorsus alienum videri: neminem latere Gallicanam Ecclesiam, præsertim post Synodi Basi-

Basileensis Decretum, semper fide Catholica tenuisse & credidisse B. Virginem immunem esse ab peccati originalis macula; atque populum universum Galliarum hac eximia doctrina imbutum sese constanter colendæ conceptioni Virginis totum cum magno fructu pietatis mancipasse: Verumtamen Maldonatum hodie docere contrarium & fenestram aperire ad schisma patentissimam. Quibus ita propositis à Rectore Academiæ, communi omnium ordinum Academiæ consensu statutum fuit D. Petrum Gondium Episcopum Parisiensem adeundum atque obnixe rogandum ut ex sanctissimo suorum Præcessorum instituto, qui Decreta Facultatis Theologicæ super controversia Conceptionis B. Virginis sua auctoritate comprobarant, fidem atque religionem intemeratæ Conceptionis propugnandam susciperet. Verum cum à primis Scholæ Parisiensis incunabulis Parisienses Episcopi semper de more habuissent, ut quoties aliqua controversia in rebus ad religionem spectantibus emergeret, confestim sacrum Ordinem Theologorum consulerent, ejusque Censuram doctrinalem exposcerent: hoc dissidio intempestive sed consulto & artificiose à Jesuitis excitato, Parisiensis Episcopus novem Theologos juniores sibi fiduciarios adscivit; cum anteactis temporibus Facultas Theologiæ illos delectu habere & nomi-

nominare consuevisset: quippe quæ suos melius nosset ac de eorumdem fide & doctrina spondere deberet. Verumtamen Parisiensis Episcopus, ut rei quam animo volvebat colorem aliquem appingeret, una cum illis junioribus Theologis tres alios seniores evocavit: *puta Magistros Adamum Seguart Decanum Facultatis, Joannem Pelletarium magnum Collegii Navarræ Magistrum, & Jacobum Fabrum Syndicum Facultatis*, ex cujus Commentariis hæc deprompsi. Hos ergo Parisiensis Episcopus, præsentibus aliis novem Junioribus Theologis, consulit super facto Maldonati, petitque ab illis *quidnam de Conceptione Virginis sentiant*: cum autem respondissent, Facultatem conformiter ad Decretum Synodi Basileensis *fide Catholica credere B. Virginem Conceptam absque ulla peccati originalis contagione: Idque etiam jurisjurandi relione confirmare solitam*: Insuper etiam Acta Synodi Parisiensis sub Stephano Poncherio ultimo Episcoporum electo, Anno M D XV. edita & sic concepta produxissent: *Item festum Conceptionis B. Mariæ Dei genitricis sub simili officio & reverentia sicut alia festa ejusdem celebretis: & sciatis per Sixtum Papam* IV. III. *Calend. Martii Anno* MCCCCLXVI. *Pontificatus sui sexto, perpetuis temporibus similes concessas indulgentias interessentibus Officio sicut Martinus* V. *& Urbanus* IV. *in Concilio*

Vien-

Viennensi concesserunt festo corporis Christi. Approbamus etiam absque peccato originali conceptam & contrarium censentes hæreticos putamus, veluti Anno MCCCCXCVI. *pridie Nonas Septembris Romæ condemnati fuerunt Anno* XIII. *Sixti.* His inquam propositis à tribus senioribus Magistris Theologiæ nihilominus alii novem juniores contra reclamarunt, *Facultatem Parisiensem hoc quodam pio tantum affectu non fide Catholica credere:* atque Synodum Basileensem non aliter Festum Conceptionis celebrandum præcipere, *quam velut aliquid fidei & pietati congruum:* eamque ob rem Patres Tridentinos cavisse, ne cuiquam vitio daretur, si alterutram partem istius controversiæ pro animi sui arbitrio propugnaret. His autem seniores Theologi opponebant, æquum esse ut tota Facultas Theologica super ea re consuleretur, & privatim D. Episcopo Parisiensi significaretur, quinam ejus esset sensus & fides de hac re: neque novem Theologis in præjudicium totius Ordinis hic esse auscultandum. Verumtamen Parisiensis Episcopus congruenter ad Juniorum Theologorum sententiam ad hunc modum juxta Maldonatum pronunciat. *Christi nomine invocato, visis informationibus per Promotorem Curiæ nostræ Episcopalis Parisiensis de ordinatione nostra factis super his quæ contra venerabilem virum M. Joannem Maldonatum Doctorem Collegii*

legii Societatis Jesu publice dicta & declamata sunt, quod hæretice docuisset: & super his audito eodem Maldonato, adhibitoque virorum proborum & peritorum consilio: Nos dictum Maldonatum nihil hæreticum, nec à fide & Religione Catholica alienum docuisse dicimus, & pronunciamus. In cujus rei fidem & testimonium præsentes literas per Curiæ nostræ Actuarium & Scribam juratum fieri, & signari, sigillique ejusdem Curiæ jussimus & fecimus appensione communiri. Datum Parisiis Anno Domini MDLXXV. *die* XVII. *mensis Januarii.*

Quamprimum Jesuitæ Parisiensis Episcopi sententiam in gratiam Maldonati pronunciatam vident, eam non modo Lutetiæ in omnibus triviis & compitis exponunt: sed etiam per universam Galliam dissеminant ac valvis Ecclesiarum Latine & Gallice cum aliquot commentariis & additionibus quibus Doctores Parisienses sugillabantur affigunt. Ex quo tum in tota Gallia & præsertim Rothomagi ac universa Normania maximum emersit scandalum: adeo ut Concionatores verbi Dei palam & publice inveherentur in Conceptionarios: sic enim appellabant. Certe Normani à trecentis circiter annis magna cum pietate immaculatam Conceptionem venerari incipiunt. Hoc perspecto scandalo publico, Theologi Parisienses veniunt ad Parisiensem Episcopum expo-

postulatum, quod Jesuitæ contra omnem sensum Charitatis sententiam Curiæ Parisiensis cum additionibus per omnia compita affigi curavissent: hacque ratione malum quod silentio obrui oportuerat quasi oleo in ignem conjecto ampliassent occasione schismatis & querelarum inter populum præbita. Respondet Parisiensis Episcopus, se inconsulto atque inscio id factum. Ex omnibus Galliæ partibus querelæ ad facultatem Parisiensem deferebantur: adeo ut omnes Magistri quasi socordiæ accusarentur quod passi essent avitam fidem & pietatem majorum suorum labefactari & in ambiguum vocari. At Jesuitæ hinc opportune atque importune occasionem Doctorum Parisiensium criminandi venabantur, & Romam scribebant per illos solos effici, quo minus Tridentinum Concilium reciperetur in Galliis: propterea quod Acta Basileensis Concilii mordicus defenderent. Quo prætextu nullus aptior excogitari poterat ad creandum odium Romæ Sorbonicis Doctoribus: In Galliis autem cum Jesuitæ scirent Basileensem Synodum permagni fieri tum in Regis Consistorio cum in Parlamentis, nec propterea aperte Synodum hanc impugnare auderent: spargebant Basileensem Synodum non absolute hanc definivisse controversiam tanquam fide Catholica credendam, ideoque nullum contra

reni-

renitentes apposuisse Anathema: *Sed tantummodo declarasse rectæ rationi, pietati, cultui divino, & sacris scripturis congruam videri, &c.* Cæterum Magistri Parisienses his motibus & scandalis quibus tota Gallia personabat exploratis: duo potissimum in Episcopi Parisiensis sententia gravate ferebant. Alterum, quod sanctissima Majorum suorum instituta & pietatem erga immaculatam Conceptionem B. Virginis obliterari pateretur: Alterum, quod licet Doctrinam Maldonati de Conceptione minime damnandam censeret propter Tridentinam Constitutionem: nihilominus eam ab temeritate, scandalo, & occasione præbiti schismatis excusare nullo modo potuerit: quando in ore omnium esset, Maldonatum antiquos Patrum terminos movere, & fidem ac laudabilem pietatem populi Gallicani à ducentis annis constitutam, convellere non debuisse. Quorsum enim hæc spectabant nisi ut pax Ecclesiæ concuteretur, atque ex tranquillo turbidum fieret? Cæterum hujus schismatis quod Maldonatus exciverat, cum majores nostri fibras omnes exstirpare vellent, Anno MDLXXV. prima die Februarii solennia indixerunt comitia sub juramento in materia fidei (formula est Scholæ:) & nulla prorsus facta mentione Decreti Parisiensis Episcopi aut Jesuitarum, *M. Adamus Sequart Decanus Facultatis*, omnes & sin-

singulos Magistros Theologiæ duo rogat: Alterum, ut omnem suam industriam & studium ad charitatem, pacem, & populi Christiani ædificationem inter docendum, & concionandum conferant: Alterum, ut in præsentiarum suam de Conceptione B. Virginis, necnon de sacramento à se his conceptis verbis emisso sententiam aperiant: *Jurabitis quod tenebitis determinationem Facultatis de Conceptione; videlicet, quod B. Virgo in sua Conceptione præservata fuit ab originali culpa.* Porro omnium Doctorum, qui frequentissimi aderant atque numerum centenarium superabant, paucis admodum exceptis, una & concors hæc fuit Conclusio: *se credere & profiteri Catholica fide tenendum B. Virginem non fuisse conceptam in peccato originali: Idque & Constitutionem Synodi Basileensis & Formulam sacramenti quod exigitur à Facultate declarare: necnon similiter confirmari officio & cultu divino quod ab Ecclesia Catholica in festo Conceptionis B. Mariæ celebratur.* Quamobrem invitis ac renitentibus Doctoribus qui Episcopo Parisiensi pro Maldonato adfuerant, conclusum & statutum fuit, Catholica Fide tenendum B. Virginem nunquam originali maculæ subjacuisse, conformiter ad Sanctionem Patrum Basileensium: quiquidem post Synodum Constantiensem decreverant Ecclesiam & Concilium Generale im-

immediatam habere auctoritatem à Christo, idque Fide Catholica tenendum; neque tamen ullum Anathema Decreto suo apposuerant: Et ita liquet Canones fidei non semper pœna Anathematis concludi quod similiter antiquorum Patrum exemplo probari posset. Hæc ubi ad Parisiensem Episcopum & Jesuitas perlata sunt, multo gravius in Ordinem Theologorum Parisiensium exarserunt: eoque Parisiensis Episcopus rem deduxit (tum enim regnante Carolo IX. summa gratia in Aula Regis pollebat) ut Doctores seniores supra memoratos Decanum scilicet & Syndicum Facultatis excommunicationis telo feriret: Quiquidem de ejusmodi Sententia tanquam ab abusu provocarunt: Causaque in Parlamento perorata est ipsomet D. Gondio Parisiensi Episcopo præsente atque sedente, decretumque ab amplissimo Ordine, ut boni illi Doctores ad cautelam absolverentur.

VI. Hac præmissa Historia, venio ad rationum momenta quibus utraque pars hujus controversiæ fulcitur, quo veritas magis elucescat; atque etiam dignoscatur, quibus de causis Majores nostri partem affirmantem hujus quæstionis damnarint. Et quidem antequam singula Scholæ Parisiensis Argumenta evolvam, pro firmamento totius causa tria observare & præfari lubet. Primo, quemadmodum Fundatores Civitatum at-

que Urbium juxta naturæ ordinem & sensum prius ad necessaria quam ad utilia progredi consueverunt: Similiter Ecclesiam, quæ est politia supernaturalis, velut auroram ex crepusculo in Meridianam lucem consurgere: ac multo ante quæ sunt Præcepti & absolutæ necessitatis, quam quæ puri consilii, instituisse & curavisse. Ex quo usu evenit, ut trecentis primis annis, quibus fundamenta Religionis Christianæ posita sunt, Apostoli & Patres Ecclesiæ primitivæ nihil aliud ferme sibi proposuerint, quam ut ea docerent, quæ absolute & simpliciter essent ad salutem necessaria: puta Christum crucifixum pro salute hominum, cum mandatorum Dei observatione. Quibus bene firmatis & constitutis, tum demum ad alia externa, sacrosque ritus, & ceremonias sensim processerunt. Merito id quidem, cum exploratissimum sit, Ecclesiam quandiu in Cryptis delituit, & Reges atque Principes terræ *steterunt adversus Dominum & adversus Christum ejus*, Psalm. 11. non potuisse quidem multa servare atque operari, quæ dehinc ubi Principes nomen Religioni Christianæ dederunt magno cum fructu pietatis excoluit atque servavit. Quo fundamento bene percepto, facile est videre quamobrem omnes pene antiqui Doctores asseruerint universum genus hominum via naturali procreatum, culpam

pam originalem in Adamo contraxisse. Tempora enim quibus illi vivebant, minime patiebantur ut aliter docerent, & B. Virginem ab hac Regula nominatim exciperent: tum quia, ut dictum est, homines prius de necessariis ad salutem informandi, eaque paucis complectenda erant Articulis: tum etiam quia hæresis Pelagianorum non patiebatur ut aliter docerent: quamquidem ut proclivius debellarent, non modo veritatem sanctificationis Jeremiæ, B. Virginis, & S. Joannis Baptistæ, in utero materno subticuerunt: verumetiam ipsum liberum arbitrium nativis viribus pene spoliarunt, ut de S. Augustino liquet: quem propterea Sectarii hujus seculi in erroris sui patrocinium abducunt legenda Epistola Cælestini I. P P. ad Episcopos Galliæ. Sed ut adversariorum Argumentis amplius fidem faciamus, Joannes Maldonatus, quo cum nobis præcipua res est, *Tractatu de peccato originali*, quæst. II. disputans, *An aliquis natus sit sine peccato originali*, refert Nicephorum Calixtum cap. XXVIII. lib. VII. Historiæ Ecclesiasticæ, cum alia Festa B. Virginis *Assumptione*, scilicet, *&* *Annunciationem enumerarit*; attamen nullam de Festo Nativitatis habuisse mentionem: propterea quod suo tempore sanctificatio B. Virginis Mariæ in utero Materno nondum inter Christianos increbuisset. Quandoquidem

Spiritus ſanctus Eccleſiæ Gubernator, ante hæreſim Pelagianorum radicitus exſtirpatam, hæc in diſputationem venire nunquam paſſus eſt. Pelagianis autem profligatis, cum Eccleſiæ Doctores perpenderent cuncta rationum momenta quæ Feſtò Nativitatis & Sanctificationis B. Mariæ ſubſerviunt, etiam ejus immaculatæ Conceptioni aſſerendæ uſui eſſe: tum demum ad celebrationem Feſti Conceptionis animum appulerunt. Ego quidem opinor, Majores noſtros non aliam ob cauſam de Feſto Nativitatis B. Virginis quam Conceptionis colendo prius cogitaſſe, quam quod in Scripturis Sacris plura exempla ſanctificationis quorumdam hominum; præſervationis autem à peccato originali non item extare cernerent. Ut enim præſervatio à peccato originali liqueret, exquiſitiore opus fuit animi inductione. Et hoc primum erit fundamentum.

VII. Secundum vero, quod in hac diſputatione longe aliud ſit quærere an B. Virgo quoad jus, debitum, obligationem, habitum & in Actu ſignato, ut in Scholis diſputant; an autem de facto, revera, & in Actu exercito peccatum originale contraxerit. Nam cum omnia individua Synonyme in ſuis contineantur ſpeciebus: Atque primus Parens Adamus ſive gratiam ſive culpam originalem conſideres rationem habuerit ſpeciei reſpectu totius humani generis, quod ab illo tanquam

quam à ſpecie originem repetit: Sane oportet cunctos mortales, ne quidem B. Virgine dempta quantum ad Jus debitum, obligationem, habitum, & in Actu ſignato, labem originalem contraxiſſe in Adamo: verumtamen quoad factum & in Actu exercito, gratiæ prævenientis beneficio liberatam merito paſſionis Chriſti, quod ei per anticipationem collatum eſt: Quoniam ipſo Articulo temporis quo Deus animam B. Virginis in corpus organizatum infudit, gratiæ prævenientis amuleto ſic eam munivit, ut Actu & realiter macula peccati originalis nullo modo inquinari potuerit.

VIII. Tertium fundamentum eſt, præſervationem B. Mariæ à peccato originali nihilo plus habere difficultatis quam ſanctificationem Jeremiæ, aut B. Joannis Baptiſtæ in utero materno. Enimvero, ſi quoad rem, & ſubſtantiam, gratiam redemptionis generi humano factam tum in B. Virgine, cum in aliis mortalibus conſideremus, eadem plane fuit in omnibus hominibus: ſi vero ratio, forma, & modus illam conferendi & applicandi perpendatur: hoc quidem inter Matrem Domini & alios homines intercedit diſcrimen, quod gratia redemptionis, Jeremiæ, B. Joanni Baptiſtæ, atque aliis hominibus collata fuerit poſt peccatum originale Actu & de facto contractum: B. autem Virgini Mariæ, per Anticipationem atque

præventionem: ne ſcilicet Actu & de facto originali macula naturali obligatione debita, propter originem ab Adamo traductam, inquinaretur. Quocirca, meritum & gratia Paſſionis Domini B. Virgini per quandam anticipationem profuit, ut jam dictum eſt in explicatione ſecundi fundamenti. Ut enim Medico laudi ducitur non modo ægros ſalutaribus pharmacis curare & liberare, verumetiam contra morbos ingruentes ſic antidota præſcribere, ut morbi virus ſuum nequeant exerere: Similiter immenſæ Dei gloriæ & Chriſti Domini adſcribendum eſt, quod Matrem piiſſimam contra peccati originalis tabem gratiæ præſervantis alexipharmaco obvallarit: maxime vero, quod gloria & dedecus Matris quodammodo in Filium redundet.

IX. Quibus fundamentis accurate perceptis, pronum cuique erit omnibus Argumentis adverſariorum ſatisfacere, undecumque ſive ex lege divina ſive ex Patrum teſtimoniis promantur. Nam de ſolo habitu, debito, & obligatione quam univerſum genus hominum in lumbis Adami contraxit, non de labe originali actu & de facto inita & collecta loquuntur, ut ſtatim explicatione ſingulorum innoteſcet. His ergo iti præſtitutis, venio ad Argumenta Scholæ Pariſienſis:, quæ in triplici genere exiſtunt. Primum, ex Sacra Scriptura Geneſis III. verſu XV. ex-

expromitur. Poſtquam enim Satanas in animum primorum parentum induxit ut orginalem Juſtitiam decoquerent: Deus ſummus Pater miſericordiarum & totius conſolationis, eodem ferme puncto temporis quo ejuſmodi crimen patratum eſt, eximia primi & ſecundi Adami, nec non etiam Evæ atque B. Mariæ Virginis Antitheſi, atque actionum utriuſque oppoſitione, ſe medicinam ſalutarem huic morbo peſtilenti facturum, atque Satanæ imperium tandem opera B. Virginis radicitus exciſum iri ſic pollicetur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem: & ſementuum & ſemen illius: ipſum conteret caput tuum.* Quæ clauſula Prophetiam redemptionis humani generis continent: duabuſque conſtat partibus: prior his ſex vocibus concipitur: *inimicitias ponam inter te & mulierem.* Noſque duo evidenter docet: Primum, certam mulierem ab omni æternitate delectam & prædeſtinatam ut eſſet Mater Dei: alterum, inter hanc mulierem θεοτόκον & Evam hoc futurum diſcrimen, quod θεοτόκος ſua fide, integritate; & innocentia æternas aliquando eſſet habitura inimicitias cum Diabolo: quemadmodum Eva nimia ſua credulitate, inconſtantia, & peccato, fœdus cum morte & pactum atque amicitiam cum inferno & Satana inierat: qua de cauſa peccatum in omnes homines pertranſiit: quod ope illius mulieris θεοτόκου deleri debebat. Porro, has inimicitias mulieris θεοτόκου

cum Diabolo, necessum esse de præservatione à peccato originali non de sanctificatione B. Virginis in utero materno intelligi, his de causis evidenter colligimus: Primum, quia sequeretur alioqui illam mulierem θεοτόκον eo ipso temporis intervallo quo peccato originali actualiter inquinata subjacuisset, nullas cum Diabolo unquam exercuisse inimicitias: imovero, fuisse in Diaboli potestate: quod aperte huic Prophetiæ repugnat, *Inimicitias ponam inter te & mulierem*: Quæ Prophetia absolute capi debet de quocumque tempore à primo puncto animationis corporis B. Virginis θεοτόκου. Secundo, cum omnis effectus naturam & proprietates suæ causæ æmuletur: Corpus autem Christi ex sanguine B. Virginis efformatum sit, dato quod B. Virgo labe originali contaminata fuerit: insurgit quoque aliquam labem & velut cicatricem peccati originalis in Christi Corpus inustam fuisse: & continuo Diabolum gloriari potuisse aliquid in Christi corpore inesse quod ejus ditioni atque imperio fuerit obnoxium: ea nimirum de causa quod ex muliere in peccato originali concepta natus sit. Tertio, si hæc Prophetia de sanctificatione in utero non de præservatione à peccato orginali sumatur, nihilo magis ad B. Virginem θεοτόκον, quam ad Jeremiam aut S. Joannem Baptistam vel quempiam eorum qui in utero materno sanctificati sunt pertinebit: hi enim

enim æque cum Diabolo inimicitias exercuisse dicerentur quam B. Virgo Maria, quod est impossibile: quia hæc sola ab sui ortus principio ad finem usque mundi ex Diabolo victoriam debuit reportare. Quarto, si hæc Prophetia de sanctificatione non de præservatione à peccato originali caperetur, non plena & perfecta esset Evæ atque B. Virginis, neque etiam primi & secundi hominis Antithesis: quoniam Diabolus in B. Mariam sicut & in Evam dominium & potestatem aliquando obtinuisset. Deinde, ut jam docui, aliqua cicatrix peccati originalis in Christi Corpus inusta fuisset. Porro, nullo quidem versor in dubio, quin omnes antiqui Patres, si modo illis per hæresim Pelagianorum licuisset, hanc Prophetiam ad hunc suavem & genuinum sensum deduxissent. Hercle Eucherius Lugdunensis qui anno incarnationis Dominicæ CCCC XLI. floruit, Commentariis super Genesim, memorat nonnullos Patres sui temporis ad hunc allusisse sensum: *Quidam autem hoc quod dictum est*, ait, *inimicitias ponam inter te & mulierem de B. Virgine unde natus est Dominus intellexerunt: eo quod illo tempore ex ea Dominus nasciturus ad inimicum devincendum & mortem cujus ille auctor erat destruendam promittebatur: sicut in David scriptum est, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Rupertus quoque nescio quid simile habet super

per Genesim: *Profecto*, inquit, *magnum gratiæ suæ opus promittit victorem Diabolum qui vicerat fraude, victa nunc mulier, vincere quandoque debeat fortitudine.* Quibus verbis Evæ à Diabolo devictæ atque B. Virginis antithesim adumbrat: victrix enim Virgo Maria Diaboli extitit: at victrix semper esse non potuit, si aliquando in manu & potestate Diaboli fuit. Profecto si ad naturam & rationem Prophetiæ, quæ semper involuta atque implicata est, attendamus, nihil clarius & evidentius dari potest hoc Scripturæ textu: qui nos liquido docet, immaculatam Conceptionem B. Virginis juris esse divini positivi, cum necessitate consequentiæ ratiocinando evidenter ac necessario ex Sacra Scriptura colligatur. Quocirca fidem indubitatam & Catholicam parere debet, præsertim apud Theologos, quorum partes sunt per variam animi inductionem veritatem Prophetiarum enucleare: Unde auctore Gersonio *Tractatu de iis quæ credenda sunt de necessitate salutis permulta Theologi explicite atque expresse credere tenentur, de quibus alii qui non studuerunt Theologiæ possunt rationabiliter dubitare.* Nam Theologi sunt tanquam lumen & sal terræ, ac divinæ legis interpretes. Et hæc de Prima Parte Prophetiæ. Pars autem Secunda his verbis concepta est: *Inter semen tuum, & semen illius: ipsum*
con-

conteret caput tuum. Quæ Prophetia illud ſemen benedictum nempe Chriſtum Dominum deſignat, *abſque quo tanquam Sodoma eſſemus*, Eſaiæ I. & Romanor. IX. de quo ſemine Chriſto nulla nobis in præſentiarum eſt cum adverſariis quæſtio. Et hæc de Primo genere probationis ducto à Sacris Scripturis.

X. Secundum genus Argumentorum à tacito ipſius naturæ ſenſu promitur. Quotusquiſque unquam tam profligatæ ſpei extitit, ut non potius à claris atque nobilibus quam à parentibus obſcuris & aliqua infamiæ macula inquinatis (ſi modo id in ejus poteſtate ſitum eſſet) non multo magis naſci exoptarit. Si quidem εὐγένεια, bonum nomen, & gloria parentum magnus atque incomparabilis eſt Theſaurus liberis. In cujus rei confirmationem hic integrum ferme caput tertium Eccleſiaſtici impendi poteſt: ubi Sapiens monet gloriam hominis ex parentum honore, & dedecus liberorum à parentibus ſine honore fluere: Et qui honorificat Matrem ſuam, eſſe ſicut qui theſauriſat. Cum ergo Chriſtus Dominus amantiſſimam parentem macula originali liberare potuerit, quotusquiſque credat illum ſibi hunc gloriæ Theſaurum cumulare & comparare noluiſſe: quando ut probatum eſt ſuperius, cicatrix hujus maculæ ad eum quod-

quodammodo resiliret? Cum igitur teste Augustino, lib. III. *de Libero Arbitrio*, cap. v. *Lex & ratio naturalis regula sit certissima ad judicandum de rebus divinis*: ubi potissimum lex divina nihil aperte & absque Prophetiarum involucris præcipit, compertumque habeamus rectam rationem, quæ pro lege naturali nobis esse debet, demonstrare Christum Dominum Matrem suam à labe originali præservasse: id quidem pro certo atque comperto habere debemus. Quocirca Patres Antiqui, etsi ob Pelagianismum non plane dicere auderent quidnam de hac controversia sentirent, nihilominus constanter docuerunt: *Totum ad Christi laudem pertinere quicquid ejus Genitrici gloriæ impenderetur: & Matrem Domini ejusmodi esse debuisse, ut nullo modo argui posset de peccato: quia hoc quodammodo in dedecus & injuriam Filii resiliret.* Quæ plane congruunt testimonio Sapientis supra laudato. Profecto sanctus Augustinus, Lib. *de Natura & Gratia*, cap. XXXVI. disputans in Pelagianos (quiquidem omnes homines, quos Scriptura justos vocat, ut Noë, Abraham, Job, Jeremiam, S. Joannem Baptistam, B. Virginem, &c. à peccato originali liberos esse asserebant) lubenter hoc privilegium B. Virgini propter honorem Filii concedit: aliis vero quamquam Justis & Sanctis penitus denegat: *Excepta sancta Virgine Maria*, inquit, *de qua propter honorem Domini*

nul-

nullam prorsus , cum de peccatis agitur , haberi volo quæstionem : unde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum , quia concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum. Ubi dignum animadversione , sanctum Augustinum Stilo & Phrasi Africana dixisse: *Unde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum , &c.* pro , *Ex eo enim scimus* , aut , *inde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum , quia concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.* Et ita de peccato originali contra Pelagianos velitans , clare innuit B. Virginem ab omni peccati originalis maculæ suspicione liberari debuisse propter Christum Filium. Hinc autem conspicuum evadit , recte ab Alexandro Gelensi usurpatum III *Sententiarum*, dist. IX. Articulo ultimo quæstione I. *illum partem naturæ sub peccato esse non debuisse per quam ipsa humana natura à peccato liberanda fuit.* Quæ verba de B. Virgine sicut & de Christo capi debent propter causas superius explicatas. Certe Bartholomæus Medina Dominicanus Professor Theologiæ in Hispania III. parte, quæst. XXVII. Articulo II. dubitatione IV. explicate docet eorum sententiam qui asserunt Virginem immunem esse labe originalis peccati, *piam quidem , devotioni populi accommodam , & humanæ rationi*

ma-

magis conformem. Quod autem ex Cajetano subnectit sacris scripturarum testimoniis, patet ex primo genere Argumentorum esse falsissimum: ubi Prophetiam de inimicitiis quam mulier θεοτόκον cum diabolo exercere debebat evolvimus. Quod si S. Joannes Baptista ad solius vocis præconium *ut viam Domino præpararet in eremo* delectus, sanctificatus est in utero matris, quanto magis decuit vel potius necesse fuit B. Virginem θεοτόκον absque macula originali concipi? Enimvero quanto B. Maria præ S. Joanne Baptista sanctius atque differentius nomen hæreditavit: tanto & meliorem atque puriorem effectam, nobis certo persuadere debemus. Cui enim alii hominum Deus aliquando dixit Mater mea & θεοτόκος es tu, tu me hodie genuisti? Sic enim imitatione Pauli cap. 1. ad Hebræos argumentari licet: maxime vero quod ut post S. Hieronymum ait Chrysologus, *Cæteris hominibus per partes, in Maria Virgine tota gratiæ plenitudo sese effudit*, Juxta vocem Angeli, *Ave gratia plena tecum.* Hinc enim S. Virgo *ab omnibus beata prædicatur*, ut ipsamet divino & Prophetico spiritu afflata Lucæ 1. enunciavit.

XI. Tertium genus probationum complectitur antiquorum Patrum testimonia. Nam S. Athanasius Sermone IV. *contra Arianos* versus finem, Chrysostomus *Homilia* XXXIX. *in priorem ad Corinthios*, & Theodore-

odoretus lib. *divinorum Decretorum* cap. XIII. omnes homines quos ſacræ ſcripturæ juſtos nuncupant, Noë, Abraham, Job, Jeremiam, B. Joannem Baptiſtam, &c. omnis peccati atque criminis puros, neque in Adamo morte peccati mortuos perhibent. Quare Maldonatus quæſtione II. de peccato originali diſputans, *Num omnes homines habuerint peccatum originale*, conqueritur memoratos Patres *omnes omnino homines quos ſcriptura ſacra Juſtos vocat nimis liberaliter exemiſſe à peccato Originali*: propria ſunt verba. Quæ oſtendunt Scholam Pariſienſem non ita deſtitui antiquorum auctoritate, ſicut ipſe Maldonatus Tractatu de Conceptione perſuadere voluit: quaſi eorum immemor quæ paulo ante ſcripſerat quæſtione prima *de peccato Originali*. Quod ſi Noë, Abraham, Job, & alii viri ſancti apud Athanaſium, Chryſoſtomum, Theodoretum, &c. liberi ſunt ab omni genere peccati etiam originalis, quanto magis virgo Maria θεοτόκος. Hercle ſi hæreſis Pelagianorum quarto ſeculo poſt Chriſtum natum non ex Erebo prodiiſſet, atque in multa ſecula continuaſſet, non dubium eſt, quin Patres atque Doctores qui ſeculis illis floruerunt ſuam de immaculata Conceptione Virginis ſententiam explicate & nominatim aperuiſſent: ſicut factum eſt à B. Joanne Damaſceno prima Oratione de nativitate Virginis, *Natura*, inquit, *gratiæ*

cedit, ac tremula stat, nec gratiæ fœtum antevertere causa est: verum tantisper expectavit quoad gratia fructum suum produxisset. Et aliquanto post: *O beatos Joachimi lumbos ex quibus,* κατεβλήθη σπέρμα πανάμωμον *effluxit, semen omnino irreprehensibile atque immaculatum.* Quibus verbis Damascenus vim atque efficaciam gratiæ prævenientis, dum in corpus B. Virginis effunderetur adumbrat: ostendens in ipso articulo temporis quo anima in corpus organizatum immittebatur, ipsam naturam tremulam omnipotentiæ divinæ & gratiæ prævenienti cessisse, ac tandiu substitisse atque expectasse, quoad gratia præservans opus fructumque suum produxisset: ita ut quamquam ex debito & obligatione legis naturalis S. Maria originalem maculam deberet colligere, ab ea tamen gratiæ Dei amplitudine liberata fuerit. Proculdubio S. Thomas in primo *Sententiarum* dist. XLIV. quæst. I. artic. III. ad tertium nominatim docet B. Virginem conceptam absque peccato originali: quo de loco infra amplius agetur contra Maldonatum.

XII. Quartum genus probationum argumenta capit à Jure Canonico, id est, à consensu & Catholica communione Ecclesiæ deducta: cujusmodi est Decretum Basileense supra prolatum, & cultus Divinus B. Virginis Conceptioni exhibitus, atque alia ejusmodi quæ sigillatim explicabuntur. Et primo quidem in

Con-

Constitutione Patrum Basileensium hæc notanda veniunt: *Nos vero diligenter inspectis auctoritatibus & rationibus quæ jam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ coram hac sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, & matura deliberatione pensatis, doctrinam illam differentem gloriosam Virginem Dei genitricem Mariam, præveniente & operante divini muneris gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque & immaculatam (tanquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & sacræ scripturæ) ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam definimus, & declaramus nulli de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere. Renovantes propterea institutionem de celebranda sancta ejus Conceptione, &c.* Quo in Decreto tria notatione digna occurrunt: Primum est, partem negantem hujus controversiæ, scilicet *Virginem non esse conceptam in peccato originali* absolute definiri à Patribus Basileensibus tanquam fide Catholica tenendam: Contra vero partem affirmantem puta *Conceptam esse in peccato originali*, velut impiam & hæreticam damnari. Idque evidenter probatur; quoniam una atque eadem clausula Patres iisdem penitus verbis statuunt *B. Virginem neque originali, neque actuali peccato unquam subjacuisse: sed immunem semper*

 fuisse

fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & immaculatam tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ; &c. Quamobrem ſi illorum valeret opinio, qui contendunt Synodum Baſileenſem non abſolute definire B. Virginem vacuam eſſe omni labe peccati originalis: ſed duntaxat id credi tanquam aliquid pium, cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ ſcripturæ conſonum: oporteret quoque Synodum non abſolute decreviſſe S S. Virginem θεοτόκον liberam fuiſſe ab actuali peccato: ſed id ſolum teneri oportere velut pium, conſonum cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, &c. Hoc autem abſque nota hæreſeos nemo poteſt aſſerere: quoniam abſolute & fide Catholica credimus, Matrem Chriſti ne minimo quidem peccato actuali aſperſam fuiſſe. Et ita novem doctorum juniorum Theologiæ effugium, qui relicta Schola Sorbonica ad partes Maldonati transfugerant, obſtruitur: quoſquidem ratio Patrum Baſileenſium latuit: his enim conceptis verbis, *tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, &c.* Patres Baſileenſes ſui Decreti rationem reddere noluerunt: quoniam hoc prorſus repugnat legislatori; ſed tantummodo indicare voluerunt, illos qui anteactis ſeculis partem negantem hujus controverſiæ propugnarunt, his Firmamentis ſubnixos fuiſſe, ac ſententiam illam

velut

velut piam , consonam cultui Ecclesiastico , fidei Catholicæ , rectæ rationi , & sacræ scripturæ , amplexatos. Quocirca clausula hæc Constitutionis Basileensis *tanquam piam , consonam cultui Ecclesiastico , &c.* constringenda est parenthesi : ac legenda velut ad publicas relationes propositas coram sancta Synodo , non tanquam ad Decretum ipsum pertinens. Et hæc de primo notabili Constitutionis Basileensis. Alterum est, quod Patres Basileenses distincte & nominatim præcipiant, ut festum Conceptionis *sub proprio nomine Conceptionis celebretur*. Qua ratione Cajetani argutia refellitur , perhibentis festum Conceptionis hac de causa institutum fuisse, ut sanctificatio Virginis non autem Conceptio immaculata coleretur. Quasi vero non pridem ante festum Nativitatis mense Septembri fundatum fuisset in memoriam atque honorem sanctificationis B. Mariæ : ac de una & eadem re duo festa essent geminanda. Tertio, iidem Patres indulgentias omnibus fidelibus impartiuntur qui interfuerint celebrationi divinorum Officiorum Conceptionis: idque sub nomine Conceptionis non Nativitatis aut Sanctificationis B. Mariæ. Et hactenus de primo Argumento sumpto à Jure Canonico.

XIII. Secundum ducitur à cultu atque officio divino. Cum enim cultus exterior in Religione quædam sit nostræ Fidei professio, ut omnes fatentur : Ecclesia autem Catho-

lica festum immaculatæ Conceptionis veneretur: Proculdubio, sicut ex aliorum Festorum Sanctis dicatorum celebratione colligimus Fide Catholica illos esse Sanctos: Pariter ex officio Conceptionis evidenter atque necessario inferimus, Fide Catholica tenendum B. Virginem ab omni reatu culpæ originalis esse immunem. *Quando enim Lex supplicandi Legem statuit credendi*, *ut ait Cælestinus* I. *epistola ad Episcopos Galliæ*: *sane ita debemus credere sicut & oramus*: Alioquin Ecclesia mentiri videretur: quod cogitare scelus est impium. Porro, genus precandi quo de agitur est Divinum Officium quod in Festo Conceptionis decantatur: partim à Leonardo de Nogarellis, partim à Bernardino de Bustis Franciscano compositum, & à Sixto IV. recognitum atque approbatum & confirmatum *Extravagante cum præcelsa*: Item Bulla peculiari ejusdem Sixti quam idem de Bustis attexuit ad calcem Sermonis 9. *de Conceptione*: affirmans Sixtum nunquam pati voluisse Officium Virginis, ab eodem de Bustis compositum, à quoquam alio recognosci & ad Sanctitatem suam referri: sed Sixtum illud accurate perlegisse, examinasse & approbasse.

XIV. Cui Divino Officio inter alia hanc Collectam Orationem insertam legimus. *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti*: *præsta quæsumus*, *ut sicut eam ab omni labe præservasti*: *ita*

ita nos quoque ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Dominum nostrum, &c. Quæ Collecta, deinceps in Romanum Breviarium quo Sixti IV. temporibus Romana Ecclesia utebatur relata; & aliquanto post etiam in Breviarium Cardinalis Quignonii conjecta est: Quod Quignonii Breviarium à diplomatibus duorum Pontificum, puta Clementis VII. & Pauli III. robur habuit: sicque illa Collecta trium Pontificum auctoritate invaluit: consequenterque Argumento ad hominem insurgit, Fide Catholica credi oportere SS. Virginem absque macula originali Conceptam: Quoniam id nominatim illa Collecta oratione canitur.

XV. Proculdubio, hæc ipsa Argumenta, quæ Jesuitæ, quam primum sedem in Academia Parisiensi fixerunt, velut erronea per Maldonatum oppugnarunt: deinceps per Salmeronem, Suarem, Vasquesium, atque alios Doctissimos Theologos sui sodalitii tanquam fide Catholica credenda asseruerunt: ut hinc de illorum ingenio & Proposito facile sit judicare: Tum enim satis illis erat Romæ grande odium Scholæ Parisiensi creare quod Synodum Basileensem velut Orthodoxam defenderet, atque Decreto Synodi Tridentinæ de Conceptione Virginis anteferret. Sed ad rem veniamus: Suares Tomo II. in tertiam partem B. Thomæ disputatione III. Sectione V. verbum de verbo hæc docet: *Tandem vero,*

ro, ait, *Romana Ecclesia ante ducentos annos celebritatem Conceptionis B. Mariæ generaliter amplexa, cultoribus ejus singulares indulgentias impertit. Unde quodammodo videtur Conceptionem Virginis Canonizasse. Non est ergo pium credere Ecclesiam in re tam gravi decipi, aut falso Fundamento uti. Dicetur fortasse non celebrari hanc Conceptionem eo quod sancta sit, sed quia fuit magnum Dei beneficium, initiumque majorum. Sed hoc nulla ratione probandum est, quia, ut ex sensu fidelium constat, Ecclesia non celebrat hoc festum tantum in gratiarum actionem respectu Dei, sed etiam in honorem Virginis: non esset autem Virgo honore digna propter Conceptionem suam, nisi in illa sancta fuisset. Deinde D. Thomas, Bernardus & Ildefonsus putant satis probari Virginem tempore Nativitatis suæ fuisse sanctam, quia Ecclesia Nativitatem celebrat. Ergo idem judicium ferrent de Conceptione, si festum celebrari conspicerent. Denique Galatinus lib.* VII.° *cap.* V. *dicit in quibusdam Martyrologiis expresse poni Festum Conceptionis propter summam puritatem & sanctitatem illius & ex dicendis hoc fiet evidentius. Quod vero dicunt alii non celebrari festum Conceptionis sed Sanctificationis quocumque tempore sit facta, vel certe (si celebratur dies Conceptionis) non ideo esse quia in primo instanti, sed quia illo fortasse die sanctificata fuit. Sed hoc etiam est contra Ecclesiæ mentem, quæ sem-*

semper intendit speciale Virginis privilegium & immunitatem hoc festo celebrare: cujus rei manifesta sunt signa. Primo: quia S. Bernardus dicta Epistola CLXXIV. *hoc sensu intellexit mentem Ecclesiarum quæ hoc festum colere incipiebant. Nam si solam sanctificationem celebrarent, non esset cur illas reprehenderet. Deinde, Concilium Basileense Sessione* XXXVI. *diserte dicit antiquam esse Ecclesiæ consuetudinem celebrandi hoc festum in honorem immaculatæ Virginis Conceptionis. Tertio, in quodam Officio Romano de hoc festo, quod Sixti* IV. *auctoritate confirmatum est, sæpe hoc expresse dicitur, & intentio hujus declaratur. Et eodem modo loquitur Sixtus* IV. *in Extravagante* Grave nimis, *de Reliquiis & veneratione Sanctorum, vocans Conceptionem puram & immaculatam, & concedens indulgentias hoc pie credentibus & colentibus: Et ita etiam intellexit hæc Decreta Concilium Tridentinum Sessione* V. *ubi illa confirmat. Unde idemmet Sixtus* IV. *dicit, non peccare eos qui sentiunt B. Virginem fuisse conceptam sine peccato, & propterea festum ejus celebrant. Est ergo hæc sine dubio intentio & ratio hujus festivitatis. Adde eodem modo dicere aliquem posse, cum Ecclesia celebrat Nativitatem Virginis, non ideo esse quia ipsamet Nativitate sancta fuerit, sed quia intra illum diem fuit sanctificata. At hoc plane falsum est & absurdum, ut ex dictis constat.*

ſtat. Ergo idem eſt in præſenti. Et ratio generalis eſt, quia Eccleſia proprie colit & celebrat ipſa myſteria & privilegia Conceptionis & Nativitatis, &c. Hucuſque Suares, clare demonſtrans non aliam ob cauſam Feſtum Conceptionis ab Eccleſia inſtitutum, quam ut illa doctrina de immaculata Conceptione Virginis infuſionis animæ in corpus organizatum B. Mariæ confirmetur. Idem pariter quo ad rem & ſubſtantiam docet Alphonſus Salmeron Commentariis in Epiſtolam ad Romanos capite v. Diſputatione LI. Item Vaſquez in tertiam partem B. Thomæ tomo II. diſputatione CXVII. cap. v.

XVI. At vero, quantum inſit roboris ejuſmodi argumentis ex Joannis Maldonati atque aliorum reſponſionibus patebit. Et primum, quod ſpectat ad Conſtitutionem Baſileenſem Cajetanus & Maldonatus una litura eam inducunt, affirmando Baſileenſe Concilium eſſe illegitimum & Acephalum & nunquam probatum ſummis Pontificibus præſertim hac in re. Secundo opponunt, Sixtum IV. liberam atque indefinitam reliquiſſe utramque partem hujus controverſiæ. Ita ut abſque ulla ſuſpicione hæreſeos teneri poſſit extravagante *Grave nimis*. Tertio, Synodum Tridentinam in proëmio Seſſionis v. ubi de peccato originali agitur, explicate Sixti IV. Extravagantem *Grave nimis* confirmare.

mare. Et ita cum posteriora prioribus derogent, concludunt Tridentini quam Basileensis Synodi longe potiorem esse auctoritatem.

Verum hæc responsio tribus constat membris, quorum primum fallit à suppositione Principii, id pro certo assumens quod est positum in quæstione: scilicet Basileense Concilium esse illegitimum, Acephalum, & minime acceptum Eugenio IV. Quæ assertio alteri falso incumbit Principio: puta Christum constituisse B. Petrum absolutum atque infallibilem Ecclesiæ Monarcham: qua de re nunquam Doctoribus Sorbonicis cum Romanæ Curiæ asseclis convenit: illi enim docent cum Patribus Constantiensibus Concilium generale legitime congregatum immediate habere auctoritatem à Cristo, eique Papam subditum esse, ut ostensum est superius. His accedit Synodi Basileensis Constitutionem confirmari ab Ecclesia dum Festum Conceptionis celebrat sub hac tantum Circumstantia Conceptionis scilicet immaculatæ B. Virginis.

Alterum membrum responsionis nititur Extravagante Sixti, & sicut præcedens ludificat à petitione Principii id pro certo assumens quod versatur in quæstione, nimirum Constitutionem *Grave nimis*, potuisse Decreto Basileensi derogare: quasi unius Pontificis Bulla Canonibus Conciliorum generalium præ-

præferri deberet : hoc certe ita non fuit ab initio , dum Papa non habebatur absolutus infallibilis Monarcha Ecclesiæ. Verum, quando Sixtus multis diplomatibus , quæ à Bernardino de Bustis commemorantur , fidem atque Officium immaculatæ Conceptionis , conformiter ad Decretum Basileense , munivit : Jure quidem possumus dicere ejusmodi Bullas à Cathedra manare : nequaquam vero Extravagantem *Grave nimis* : si modo facta est ut Constitutioni Basileensi detraheret. Quod si hac de causa condita est : respondeo Sixtum eam consulto edidisse , ne quis putaret festum & religionem immaculatæ Conceptionis robur suum à Synodo Basileensi trahere quia esset illegitimum & Acephalum , sicque semper petitio est Principii quæ nihil probat : Hacque responsione etiam fit satis tertio membro : puta Patres Tridentinos juxta Sixti Extravagantem *Grave nimis* controversiam hanc dubiam reliquisse. Primum rependo in Synodo Tridentina nihil de hac re Synodice disputatum secus quam in Concilio Basileensi. Ex quo accidit, ut hic longe augustior esse debeat Patrum Basileensium auctoritas : quando certum est Patres Tridentinos solummodo voluisse Decretum politicum facere , approbando Extravagantem Sixti IV. nullo prævio examine quæstionis utrum B. Virgo concepta fuisset absque macula peccati originalis : cujus quæ-
stionis

ſtionis pars negans clare celebratione Feſti Conceptionis aſſeritur, pars autem affirmans damnatur..

Secundum argumentum, à cultu atque Officio divino depromptum, vix ac ne vix quidem diſſolvi poteſt ab Adverſariis. Quibus hærent rationes quonam ſenſu & propoſito Eccleſia feſtum immaculatæ Conceptionis frequentet. Primum Maldonatus ait S. Thomam III. parte quæſt. XXVII. articulo II. ad III. reſpondere Eccleſiam Romanam non celebrare hoc feſtum, ſed tolerare ut ab aliis Eccleſiis celebretur. Quæ reſponſio, ait Maldonatus, jam non habet locum, quia Eccleſia Romana nunc celebrat hunc diem feſtum. Secundo, memorat Cajetanum aſſerere hoc feſtum non celebrari tanquam feſtum conceptionis, ſed tanquam feſtum ſanctificationis B. Virginis in utero materno; ſed quia ignorat quo tempore & quo die fuerit ſanctificata, celebrat feſtum eo die quo concepta eſt. Bartholomæus Medina Cajetano aſſentitur, hocque ulterius addit: in celebranda conceptione celebrari illud momentum quo Virgo juſtificata & plenitudine gratiæ decorata eſt, abſtrahendo an ſit concepta necne cum peccato originali. Demum Maldonatus Capreoli opinionem III. Sententiarum, diſt. III. quæſtione unica omnium aliorum opinionibus anteponit: contenditque dies

dies festos non semper celebrari ad significandum aliquam novam sanctificationem, sed aliquando pro gatiarum actione, sicut in Veteri Testamento Pascha celebratur, non ad significandam ullam sanctitatem, sed ad agendas Deo gratias quod Hebræos liberasset à servitute Ægyptiorum. Item, festum Pentecostes celebrabatur ad agendas Deo gratias pro Lege quæ eo die data fuerat. In Novo etiam Testamento sunt nonnulla festa ejusmodi, ut Epiphania in qua non colitur ulla nova sanctificatio, sed grata quadam memoria Christiani recolunt eum diem quo Christus voluit se gentibus demonstrare: eodem sensu celebrat Ecclesia festum assumptionis B. Virginis ut agat gratias Deo propter felicem migrationem illius ex hac vita. Cæterum ubi Maldonatus animadvertit animum suum in ejusmodi responsionibus minime acquiescere, tandem Elencho à petitione Principii ita concludit. Certe illud manifestum est, Ecclesiam hoc festum Conceptionis non celebrare, ut profiteatur B. Virginem conceptam sine peccato originali: nam si hoc sensu celebraret, tam fides Catholica esset credere illam esse conceptam sine peccato originali, quam est credere natam esse sine peccato: quia Ecclesia hoc sensu celebrat festum Nativitatis ejus. At ipsa Ecclesia in Concilio Tridentino declarat non esse fidem Catholicam

crede-

credere eam esse conceptam sine peccato: ergo non hoc sensu celebrat festum conceptionis.

Proculdubio hæc turba solutionum Maldonati cumulatim nedum seorsim sumptæ ullo modo satisfaciunt, ut earumdem Analysi dignoscetur. Primum, quod ait ex B. Thoma Romanam Ecclesiam non celebrare festum Conceptionis, sed tolerare ut ab aliis Ecclesiis celebretur: supponit à petitione Principii solum Papam & Romanam Ecclesiam esse infallibilem: nullumque ritum fieri in Ecclesia aut ullos sanctos posse in Canonem referri absque Romani Pontificis beneplacito. Scio quidem à Gregorii VII. seculo ita invaluisse: sed olim temporibus Ecclesiæ primitivæ aliter usus erat: quoniam Episcopi singularum Provinciarum cum suo Clero & populi testimonio viros sanctos in δίπτυχα id est geminas tabulas Ecclesiæ referebant. Ex quo contigit ut S. Joanne Chrysostomo vita functo permagni motus Constantinopoli exciti fuerint, utrum vir ille sanctus in tabulas sacras referretur. Et ita liquet tum potestatem Canonizandi sanctos non à solo Romano Pontifice pependisse. Lector consulat Pamelium in notis ad x. Epistolam Cypriani.

Quod spectat ad Cajetanum & Medinam oppono Synodum Basileensem nominatim cavere ut festum Conceptionis die VIII. Decembris ab omnibus Christianis sub hac tantum

tum circumſtantia non ratione ſanctificationis aut Nativitatis Virginis celebretur & ab eo tempore ubique terrarum ita fieri conſueviſſe: atque magis æquum eſſe Sacræ Synodo Oecumenicæ quam duobus hominibus qui ſunt in cauſa aſſentiri: dico eſſe in cauſa: quoniam Dominicani propter ſuum Doctorem B. Thomam in cujus verba quaſi in Euangelia jurarunt (ut Sanctus Pagninus in Præfatione ad Sacra Biblia de Univerſis Scholaſticis conqueritur) partem affirmantem hujus controverſiæ pertinaciter tuentur: adeo ut in quibuſdam locis, ubi Baſileenſe Concilium obſervabatur, quidam illorum capite luerint. Inſuper contendo Eccleſiam die VIII. Septembris feſtum Nativitatis B. Virginis, & una ejuſdem ſanctificationem in utero materno venerari: quocirca eam ſub feſto Conceptionis iterato colere eſſet actum agere, ac demonſtrare Eccleſiam quæ à Sancto regitur in incertum fluctuare: neque enim Eccleſia ſic agere conſuevit: quod ſi de una atque eadem re feſta iteranda forent, potius Incarnatio, Paſſio, Reſurrectio Domini, atque alia ejuſmodi feſta frequentanda eſſent: cum ſingula Chriſti beneficia erga genus humanum nunquam ſatis commendari queant.

At Capreoli reſponſio quam Maldonatus aliis præfert fruſtratur à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter: nimirum quædam feſta

festa celebrari ab Ecclesia quæ nullam sanctitatem designant sed quædam Dei beneficia erga genus humanum commemorant: ergo festum Conceptionis est ejusmodi; quod absolute negatur. Proculdubio Decretum Synodi Basileensis explicate docet festum Conceptionis non aliam ob causam quam propter præservationem B. Virginis ab originali labe coli: huicque Decreto consensus Catholicus respondet in celebratione festi Conceptionis, quod ubique terrarum celebrari cœpit post Synodum Basileensem. Equidem Maldonatus quamquam vim omnem ingenii in oppugnanda Conceptione impenderit, attamen clare ostendere non potuit quonam alio sensu Ecclesia festum Conceptionis celebret quam sub nomine præservationis B. Mariæ ab originali peccato. Quod vero Synodum Tridentinam opponit, manifesta est petitio Principii, ut supra in explicatione Decreti Patrum Basileensium & confutatione Argumentorum Maldonati docuimus.

Quantum ad Orationem Collectam quam Ecclesia decantat in festo Conceptionis: *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti, &c.* Maldonatus in hoc nodo dissolvendo valde anhelat. Ad tertium Argumentum, ait, possemus respondere illam Orationem *Deus qui per immaculatam Virginis Conceptio-*

nem, *&c.* reperire quidem in libris Ecclesiæ, non esse Orationem Ecclesiæ, id est, compositam & comprobatam ab ipsa Ecclesia, sed concinnatam fuisse à privato homine & introductam in preces publicas Ecclesiasticas. Cujus rei argumentum est, quod Pius V. jusserit eam abradi ex libris Ecclesiæ. Videmus enim aliquando id fieri ab hominibus imprudentibus & temerariis: ut quisquis fuit qui composuit aliquando præfationem quæ diu cantata est in Ecclesia die festo B. Hieronymi, in qua Præfatione Hieronymum vocavit Virginem. Atqui ipse Hieronymus duobus in locis testatur se non fuisse Virginem: ut in Apologia pro libris suis contra Jovinianum. *Virginitatem*, inquit, *in cœlum fero, non quod habeam sed quod magis miror quod non habeo*: Et alias Epistola quadam primo Tomo. Itaque cum Ecclesia animadvertit, merito illam præfationem expunxit. Idem quoque accidit in hoc festo B. Virginis. Nam quisquis composuit Breviarium illud brevissimum Quignonii, fecit lectionem unam conflatam ex testimoniis veterum, ut persuaderet omnes sensisse B. Virginem fuisse conceptam sine peccato originali: quod profecto fuit hominis impudentissimi: cum nemo eorum auctorum quos citat ita senserit: & quod amplius est, non poterat ignorare Divum Thomam esse in con-

contraria ſententia: tamen voluit perſuadere nobis, etiam illum ita ſenſiſſe: quod non eſt bonam cauſam agere ſed perdere. Deinde animadvertendum eſt Eccleſiam ſuas habere opiniones, nec enim quicquid ſentit tanquam fide Catholica ſentit; quemadmodum & Prophetæ dicebant quædam humanitus & probabiliter afflarentur divino ſpiritu. Eliſeus enim lib. IV. Regum cap. IV. perſuaſerat ſibi fore ut puer ille qui mortuus fuerat reviviſceret impoſito ſuper illum baculo: quod manifeſtum eſt eum hoc non credidiſſe divina revelatione ſed opinione humana, ut exitus demonſtravit: quia non revixit puer. Sæpe igitur Eccleſia non fide ſed opinione adducta, & facit aliquid, & veneratur, & orat: ut totos ſexcentos annos dedit Euchariſtiam infantibus, quod non faciebat fide Catholica, ſed probabili opinione, ut poſtea oſtendit contraria conſuetudine, re melius conſiderata modo non dat. Item, reliquias ſanctorum eſſe venerandas eſt fides Catholica Eccleſiæ: has autem vel illas eſſe venerandas, non eſt fides ſed opinio Catholica: tamen hac opinione Eccleſia tota ducitur ut has vel illas reliquias veneretur. Et quod ad rem magis pertinet, orandum eſſe pro iis qui ſunt in purgatorio Eccleſia credit fide Catholica: orandum eſſe pro hoc vel illo non credit fide Catholica, ſicut fide Catholica non credit illum eſſe

 in

in purgatorio: tamen quia verisimile est eum in purgatorio esse ubi indiget precibus orat pro illo. Eodem modo non est necesse ut sit fides Catholica B. Virginem conceptam fuisse sine peccato ut Ecclesia oret per ejus Conceptionem: satis enim est esse probabilissimam opinonem. Regula autem Cælestini ita intelligenda est, *legem credendi lex statuat supplicandi*: id est, qualis ea est opinio qua oramus, talis esse debet opinio quam debemus habere de ea re de qua oramus: ut quia fide Catholica credit Ecclesia orandum esse omnibus hominibus, ut sibi peccata remittantur, recte sequitur fide etiam Catholica credendum omnes homines habere peccata: de hac enim re eo loco Cælestinus agebat contra Pelagianos. Hic autem aliter se res habet: Ecclesia enim non orat fide Catholica ducta, sed opinione per Conceptionem B. Virginis: propterea non fide sed opinione credendum est eam fuisse conceptam sine peccato. Illud etiam animadvertendum est, merito Ecclesiam in rebus incertis propensiorem esse in partem tutiorem & magis piam: ut cum dubitat an aliquis mortuus indigeat precibus, nihilominus orat pro illo. Ita etiam fecit in Conceptione Beatæ Virginis. Denique in hac re & aliis similibus sciendum est non quicquid Ecclesia dicit etiam in publicis precibus dicere suscepto consi-

li•

lio & quasi ex certa & indubitabili opinione : multa enim dicit obiter sequens opinionem magis probabilem: quemadmodum in Conciliis, non quicquid dicitur est fides Catholica sed quod ex instituto dicitur & decernendo. Nam quæ obiter in publico officio: tamen non est fides Catholica quod fuerint Reges sed est opinio tantum probabilis: ut temerarium sit condicuntur opiniones tantum sunt. Exemplum est, Ecclesia Catholica celebrat Festum Regum & vocat eos Reges etiam tra sentire, ut recte adnotavit Canus lib. XI. de locis Theologicis cap. I. Itaque sine hæresis nota, quamvis cum aliqua fortasse nota temeritatis, Bapista Mantuanus lib. I. de sacris diebus cap. de Epiphania dixit.

Nec Reges opinor erant, nec enim tacuissent
Historiæ sacræ auctores genus istud honoris.
Inter mortales, quo non sublimius ullum.

Hucusque Maldonatus qui infirmitatis rationum suarum sibi conscius, non eas seorsim & Analytice Theologorum aut Philosophorum more exponit: sed ex Rhetorum consuetudine in fasciculum coacervat, atque involvit, ut imperitos facilius decipiat. Nos autem illas sigillatim discutiemus & ad novem Articulos revocabimus. Primum, quod urget illam orationem Collectam de immacula-

culata Conceptione B. Virginis non esse Ecclesiæ, sed alicujus privati hominis, fraudis atque falsitatis convincitur ex iis quæ supra docuimus: scilicet Officium de Conceptione à Sixto IV. recognitum & auctoratum fuisse, & Collectam illam non modo in Breviarium Quignonii, sed etiam in Officium Romanum quo ante usum Breviarii Quignonii Romana Ecclesia utebatur insertam esse: adeo ut hæc Collecta trium Romanorum Pontificum Sixti IV. Clementis VII. & Pauli III. auctoritate in Romana Ecclesia celebrari consueverit usque ad Pii V. Pontificatum. Quamobrem frustra anhelat Maldonatus ut demonstret non consulto & decernendo cani ab Ecclesia: cum etiam certissimum sit, illa auctoritatem habuisse à Patribus Basileensibus: qui Synodice & Canonice de hac controversia examinatis utrinque rationum momentis statuerunt. Quare Magister Andreas Vallius, quamquam Basileensi Synodo infestissimus, tamen libro suo de suprema potestate Papæ parte quarta quæst. sexta initio ait, *definitionem Basileensis Synodi de immaculata Conceptione, quamvis non sit de fide & probata non sit à Pontifice Romano, nihilominus propter multitudinem Patrum & Doctorum qui ad eam decernendam convenerunt, plurimum æstimari*. Itaque licet Collecta non robur haberet à Sixto IV. Clemente VII. & Paulo III. tamen plus satis à Synodo Basileensi,
cu-

cujus Decreto per omnia & in omnibus concordat, necnon etiam ab usu Ecclesiæ quæ Festum Conceptionis celebrat confirmaretur, ut revera confirmatur.

Verum secundo objicit Maldonatus Pium V. ejusmodi orationem ex Breviario Romano abradi voluisse. Quid tum, quæstio est facti: de quæstione autem Juris disputatur, quæ Synodo Basileensi atque ipso ritu Ecclesiæ definitur. Præterea cum par in parem non habeat imperium, notissimumque sit Pium V. ex Dominicanorum familia ad Cathedram Apostolicam assumptum, & Dominicanos in verba S. Thomæ Doctoris sui tanquam in oracula jurasse, ac propterea immaculatæ Conceptioni semper infestos fuisse: merito quæri potest An Pius V. ea jure abradi voluerit quæ Sixtus IV. Clemens VII. & Paulus III. conformiter ad Basileense Decretum approbaverant. Adnectendum ultimo, Pium V. hac abrasione cavere voluisse ne quis putaret Decreta Synodi Basileensis directe aut indirecte ab Ecclesia Romana probari: & continuo inferret, ampliorem esse Concilii quam Papæ auctoritatem. Nam verisimile et hanc unam esse causam arcanam cur Decretum Synodi Basileensis repudietur à Scriptorbus Romanis.

Tertio illa Præfatio aut Prosa quam Maldonatus ex Officio festi Sancti Hieronymi expunctam fuisse gaudet, longissimo in-

tervallo distat à Collecta qua de agitur: quoniam Collectæ Orationes nominatim ad essentiam festorum spectant neque in Officium divinum solent inseri, nisi Ecclesiæ auctoritate; ut de oratione quam vellicat Maldonatus liquet. Contra autem Prosæ frequenter à quibuscumque etiam privatis hominibus intemperanter & zelo imprudenti componuntur atque in divinum Officium per ignorantiam seculi infarciuntur: quare jure meritoque delentur: quod de Collectis orationibus dici nequit. Urgeo etiam ex blenni proloquio scholarum aliquod causari impedimentum vel incommodum non dissolvere argumentum: ideoque frustra Maldonatum Prosam Sancti Hieronymi obtrudere.

Quarto, mirabile est Maldonatum non sibi ab injuriis adversus Cardinalem Quignonium temperasse: cum ejus labor atque industria suo tempore rata grata Ecclesiæ, & à Clemente VII. Pauloque III. auctorata fuerit. Utque ad rem veniamus, quam vere & candide Maldonatus homiliam Quignonii carpat unica & sola B. Thomæ Sententia docebit, in quam Adversarius vim & robur suæ redargutionis fixisse videtur: sic autem habet S. Thomas primo Sententiarum dist. XLIV. quæst. I. Articul. III. ad tertium: *Puritas intenditur per recessum à contrario: & ideo potest aliquid creatum inveniri,*

quo

quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit: & talis fuit puritas B. Virginis quæ à peccato originali & actuali fuit immunis: tamen ista puritas fuit sub Deo. Hæc ille, cujus Sententiam Quignonius verbum de verbo exscripsit & in suam homiliam de Conceptione Virginis conjecit. Quocirca Maldonatus fateatur oportet dum Quignonium reprehendit, vel Calumniatoris personam induisse, vel se hunc locum S. Thomæ nequaquam legisse: & tamen tum temporis libros Sententiarum Parisiis interpretabatur. Bartholomæus Medina Dominicanus, cum observarent hanc Doctoris Angelici luculentissimam Sententiam nulla ratione verti posse in dubium, eam violenter & contra omnem sensum veritatis ad mentem atque propositum suum abripere conatur, *Affirmans B. Thomam loqui de B. Virgine semel jam sanctificata post animationem.* Quæ interpretatio his B. Thomæ verbis aperte confutatur: *Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis: tamen ista puritas fuit sub Deo.* Quasi Angelicus Doctor diceret, Virginem non natura sua & seipsa illa præditam puritate; sed *eam duntaxat per & propter Christum habuisse:* Quoniam Christus est causa Exemplaris & efficiens nostræ prædestinationis Hic autem Thomas agit de puritate tum à labe originali, tum actuali. Certe

Medina longe melius sibi consuluisset, si fateretur ingenue Doctorem suum aliquando in ea fuisse opinione, ac tum demum re consideratius perpensa, versuram fecisse Sententiæ.

Quinto, quod Prophetarum & Conciliorum exemplis docere ambit Ecclesiam non semper suscepto Consilio & decernendo canere aut dicere quicquid canit aut dicit: uno verbo refellitur. Nam quæcumque Ecclesia in Collectis Orationibus à S. Sede Apostolica probatis, & ad normam Decreti Conclii Generalis concinnatis dicit aut canit, ea quidem decernendo canit: quoniam ut dixi Collectæ ejusmodi ad essentiam Officii pertinent. Quæ autem in aliis Divini Officii partibus, scilicet in Hymnis, Homiliis, Responsoriis Prosis, atque similibus celebrat, non semper decernendo & suscepto consilio proponit. Hincque usu evenit, ut anno MDCII. aut circiter Breviarium Romanum sub Pii V. diplomate vulgatum, mandato Clementis VIII. & Cardinalis Bellarmini diligentia recognitum fuerit cum aliqua Homiliarum, Hymnorum, & similium immutatione. Consule doctissimum Tractatum Gersonii quæ veritates sint credendæ ad necessitatem salutis, prima parte Operum Gersonii.

Sexto, vehementer negamus Apostolos & Patres antiquos sola probabili opinione, & non

non certiſſimo afflatu Divino, aliquid circa uſum Sacramenti Euchariſtiæ ſtatuiſſe. Quandoquidem Divina diſpenſatione & revelatione parvulis adhuc in cunis exiſtentibus ideo Sacramentum Euchariſtiæ dediſſe contendimus: quo Eccleſiam hodiernam invincibili argumento armaret contra Novatores hujus ſeculi: qui perſuadere volunt à ſola Fide actuali & intentione ſumentis veritatem & præſentiam Corporis Domini potius quam à virtute & promiſſis Dei pendere. Quorum opinio ſi vera eſſet Apoſtoli & antiqui Patres fruſtra & impie cum magno ſacrilegio infantes rationis expertes ad uſum Euchariſtiæ admiſiſſent.

Septimo, exemplum venerationis Reliquiarum & Suffragiorum pro defunctis, nam utriuſque eadem eſt ratio, laboret Elencho cauſæ pro non cauſa: quoniam ex quæſtione facti, aut ab exiſtentia, quæ contingens & mutabilis eſt, quæſtionem Juris ſive eſſentiam, quæ abſoluta & neceſſaria eſt, oppugnat. Quandoquidem Reliquias Sanctorum venerandas & orandum pro defunctis quæſtiones ſunt Juris: quas jampridem Eccleſia definivit: eamque ob rem id fide Catholica credere oportet. At has vel illas Reliquias colendas, aut pro hoc vel illo defuncto orandum, pie ſolummodo & quadam opinione Catholica ideo credimus, quia factum eſt prorſus contingens: in cujus veritatem & circum-

cumſtantias nemo poteſt nec tenetur certo penetrare. Quocirca Eccleſia nullum unquam de his vel illis Reliquiis venerandis, aut de hoc vel illo homine vita functo precibus juvando Canonem condidit. Contra vero privatum extat Decretum & privatæ ſuppetunt nobis Orationes & Feſtum, quibus Eccleſia diſtincte & nominatim immaculatam Conceptionem coli præcipit. Itaque hæc controverſia ad certam quæſtionem Juris non ad factum aliquod ambiguum & contingens revocanda fuit à Maldonato.

Octavo, ex integris verbis Cæleſtini PP. clarum evadit an Maldonatus Cæleſtini Regulam in ſuo vero & Germano ſenſu uſurpet: *Obſecrationum quoque Sacerdotalium Sacramenta reſpiciamus quæ ab Apoſtolis tradita in toto Mundo atque in omni Eccleſia Catholica uniformiter celebrantur, ut Legem credendi Lex ſtatuat ſupplicandi*, inquit Cæleſtinus. Quibus verbis indicat, ſanctorum Communionem aut totius Eccleſiæ conſenſum inter orandum Legem & Canonem efficere Catholicum. Porro Maldonatus ut ſuæ cauſæ velificetur Cæleſtini Sententiam clariſſimam ambagibus involvit.

Nono, reſpondemus Eccleſiam Fide quidem Catholica credere Magos veniſſe obviam Chriſto cum muneribus ut illum adorarent ſed pia quadam perſuaſione populum Chriſti-

anum

anum sibi in animum induxisse illos fuisse Reges. Hoc enim necessario non potest induci ex Sacra Scriptura, neque ullum ea de re extat Ecclesiæ Decretum: quare Fidem Catholicam non parit. Quod autem urget Maldonatus, Ecclesiam celebrare Festum Regum: vereor ut id tam accurate ex Fastis & libris Ritualibus Ecclesiæ, quam ex consuetudine & pergræcationibus vulgi confirmare queat. Siquidem, hic x. Versus Psalmi LXXI. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent*: historice & literaliter de Salomone, allegorice autem de Christo capi debet. A sensu autem allegorico aut mystico nullum potest dogmaticum & validum instrui argumentum, ut omnes Theologi contendunt.

XVII. Confirmatis rationibus nostris pro immaculata Conceptione superest in aciem explicemus & dissolvamus Adversariorum Argumenta: & primo quidem à Sacra Scriptura: multos enim textus congerunt, quorum robur atque energiam hoc complectar syllogismo.

Quicquid de aliquo prædicatur quod habet rationem speciei, de omnibus quoque individuis sub illo contentis prædicari debet.

Sed hæc Propositio, Omnes in Adamo peccaverunt & mortui sunt, ac proinde egent gloria Dei: prædicatur de Adamo tanquam

de

de specie: quia Adamus respectu totius generis humani cui dedit initium, habet rationem speciei ut jam supra observavimus.

Igitur, omnes qui originem ab Adamo repetunt, sicut B. Virgo Maria, revera peccaverunt atque mortui sunt in Adamo: & consequenter gloria Dei & redemptione Christi egent.

Major Propositio hujus syllogismi lumine naturali & regulis communibus Logicæ: Minor autem his Scripturæ testimoniis confirmatur. *Omnes peccaverunt & egent gloria Die* III. ad Roman. versu XXIII. & cap. V. versu XII. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt.* Item I Corinthior. cap. XV. versu XXII. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Similiter II. Corinthiorum V. versu XIV. *Quoniam si unus pro omnibus mortuus est: Ergo omnes mortui sunt & pro omnibus mortuus est Christus, &c.* Quibus in locis S. Paulus disputat de morte animæ quam peccatum originale invexit, & sanguis Christi abluit.

At respondeo, hæc & similia Scripturæ testimonia, quibus minor propositio hujus syllogismi comprobatur, solummodo concludere B. Virginem *quoad habitum, debitum, obligationem & in actu signato, non autem revera & de facto aut in actu exercito peccatum*

catum originale collegisse. Præterea insto, solenne esse Scripturis divinis non minus universim & generaliter asserere omnes homines nemine dempto actualibus peccatis inquinari: nihilominus Ecclesiam ab illis propositionibus universalibus semper B. Virginem Mariam exemisse, ut Psal. XIII. & LII. & III. ad Romanos: *Omnis homo mendax. Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt.* Item cap. XI. vers. XXXII. *Conclusit Deus omni incredulitate.* Et cap. III. ad Galat. vers. XXII. *Conclusit omnia sub peccato.* Similiter primæ Joannis I. versuv III. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Qui omnes loci scripturæ de peccatis actualibus generatim nemine excepto statuunt: & tamen nemo est qui non fide Catholica teneat Virginem Mariam actualibus propositionibus exemptam esse. Ex quo à pari inducimus B. Virginem aliis etiam propositionibus generalibus, quæ de peccato originali loquuntur, minime comprehendi. Ita ut licet *quoad jus, quoad habitum, & obligationem peccatum originale in lumbis Adami contraxerit, tamen revera & de facto gratiæ pravenientis alexipharmaco fuerit liberata.*

Sed Maldonatus adversum hanc solutionem tria objicit: Primo, distinctionem inter habitum & actum, inter obligationem & actu-

actualem reatum peccati originalis, à ducentis circiter annis excogitatam Patribusque antiquis plane incognitam fuisse: continuoque hodie frustra usurpari. Secundo, contendit multo facilius esse aliquem ab actuali quam ab originali peccato excipere: quia peccatum actuale personale est magisque voluntarium: originale vero peccatum est naturæ: Itaque magis decebat SS. Virginem peccato actuali quam originali carere. Deinde, quia scriptura eam ab actualibus excipere videtur, cum vocat *gratia plenam*: ab originali autem non excipit. Denique quia qui ab actualibus excipitur, non continuo ab originali excipitur. Itaque potest etiam redimi à Christo: qui autem excipitur ab originali excipitur etiam ab actualibus: quare nihil videtur illi reliquum esse, ut à Christo redimatur, quod nullo modo dicendum est.

Hucusque Maldonatus, ad cujus primam objectionem respondeo meram esse argutiam & fallaciam non causæ pro causa: quæ si locum habeat, sequi pariter has voces *homousios*, *transsubstantiatio*, *publica & solennis adoratio Eucharistiæ* quæ in festo Corporis Domini celebratur, atque alia ejusmodi quæ Apostolis & primis Ecclesiæ Patribus incognita fuerunt, temere à nobis hodie frequentari: quod nemo Orthodoxus unquam asseruerit.

Ad ſecundam dico ſaçram Scripturam æque B. Virginem ab originali quam à peccatis actualibus liberam aſſerere : primum id patet ex hæc Prophetia , *inimicitias ponam inter te & mulierem Geneſeos* III. de qua abunde ſuperius: ſecundo , ex cap. I. Lucæ *Ave gratia plena* cui enim aliquando id dictum eſt : aut etiam Tu mater eris Chriſti θεοτόκος ?

Ad tertiam ludificat quoque à non cauſa pro cauſa: quia falſo Maldonatus & Adverſarii comminiſcuntur B. Virginem , dato quod labe originali & actuali immunis eſſet , nihil opus habuiſſe redemptione Chriſti : cum certiſſimum ſit, gratiam hanc præventionis & præſervationis, *per & propter unum Chriſtum collatam fuiſſe SS. Virgini Mariæ* : quoniam Chriſtus eſt cauſa efficiens & exemplaris noſtræ prædeſtinationis. Ratio quidem Maldonati obtineret, ſi B. Virgo hanc puritatem aut immunitatem à labe originalis & actualis peccati à ſeipſa & natura ſua, non autem gratia & beneficio Chriſti poſſideret.

Porro, quod initio dixi prædictos Scripturæ locos univerſim concludentes , cunctos mortales ſub originali & actuali peccato jacuiſſe, pati exceptionem in B. Virgine Maria ; his aliis teſtimoniis ſcripturæ declaratur & comprobatur : *Nemo bonus niſi ſolus Deus*, *Marci* X. *verſu* XVII. & *Lucæ* XVIII.

versu XIX. Item primæ ad Timotheum cap. VI. vers. XVI. *solus Deus habet immortalitatem, &c.* Sensus autem est, unicum & solum Deum per se & natura sua bonum atque immortalem esse: homines vero atque Angelos duntaxat per accidens & singulari Dei beneficio. Pari quoque ratione contendimus S. Mariam matrem Dei gratia & merito Christi non natura sua liberam esse à peccato originali & actuali.

XVIII. Secundum argumentum Adversariorum est B. Virginem quandiu vixit Dominicam orationem frequentasse atque aliorum hominum more dixisse, *dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Idque argumento esse, illam non fuisse expertem originalis peccati, quod multo minus est voluntarium quam actuale peccatum. Quo genere argumenti Fratrem Joannem Viridem Dominicanum usum fuisse dum Rothomagi concionaretur supra docui: potestque Canone octavo Milevitani Concilii contra Pelagianos confirmari, qui ita habet: *Placuit ut quicumque dixerit in oratione Dominica ideo dicere sanctos Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis: qui sunt in suo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque sanctorum dimitte mihi debita mea: sed dimitte nobis debita nostra: ut hoc pro aliis potius quam pro se justus*

justus petere intelligatur, Anathema sit. Sanctus enim & justus erat Apostolus Jacobus cum dicebat, In multis enim offendimus omnes. Nam quare additum est, omnes, nisi ut ista sententia conveniret & Psal. CXLII. *ubi legitur, Ne intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, &c. Item placuit ut quicumque ipsa verba Dominicæ orationis ubi dicimus, dimitte nobis debita nostra, ita volunt à sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema sit, &c.* Hactenus Patres Milevitani. Cæterum, quando omnium consensu baptismus primario & potissimum institutus est ad delendum originale peccatum: oportet hanc clausulam Dominicæ orationis, *& dimitte nobis debita nostra*, quæ a baptizatis frequentatur, intelligi de actualibus peccatis: quod ipsum docent verba Canonis Milevitani superius laudati: quem Canonem Patres Africani condiderunt adversum Pelagianos: qui hominis propriis viribus liberi arbitrii ab actualibus peccatis posse omnino abstinere, & consequenter nihil opus habere ut pro se hac clausula inter orandum uterentur, *Et dimitte nobis debita nostra* jactitabant. Cum itaque in confesso sit apud omnes Catholicos, B. Virginem actualibus caruisse peccatis: relinquitur illam cum hanc clausulam frequentaret, *Dimitte nobis*

debita nostra, *&c.* eam partim ad gratiam præservantem & prævenientem sibi per & propter Christum delatam: partim etiam ad communionem sanctorum pro qua orabat retulisse. Enimvero, nisi plurimas orandi formulas quas habemus in Scripturis & ab Ecclesia celebrantur ad sanctorum communionem referamus, certe quoties illas usurpabimus toties & mentiri non orare videbimur: cujusmodi hæc sunt. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Turbatus est à furore oculus meus.* Psal. VI. Item. *Tibi soli peccavi & malum coram te feci*, Psalmo L & CI. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam, &c.* Profecto Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: *Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis*, Romanorum VIII. Quasi Apostolus doceret, Spiritum sanctum Ecclesiæ gubernatorem, Advocatum & Consolatorem per quandam Anthropopathiam preces nostras debitum in finem atque in sanctorum communionem dirigere atque humanos affectus & gemitus nobis necessarios inspirare & impartiri.

XIX. Tertio argumentantur, mortem cor-

corporalem æque censeri pœnam peccati originalis quam mortem animæ: ac propterea sequi B. Virginem, cum actu & de facto viam universæ carnis ingressa fuerit, una quoque peccato originali fuisse obnoxiam: sicque à primo ad ultimum non solum quoad obligationem & debitum, sed revera & de facto peccatum originale collegisse in Adamo. Repono, mortem animæ non autem corporis effectum esse univocum peccati originalis: adeo ut si hodie quispiam de integro crearetur à Deo gratia & peccati originalis expers; ac totum vitæ spatium absque ullo peccato actuali degeret: nihilominus ratione quatuor elementorum & qualitatum contrariarum quibus ejusdem corpus conflaretur, æqualiter esset obnoxius morti, sicut & reliqui homines qui ab Adamo originem suam repetunt. Ex quo relinquitur *mortem B. Virginis fuisse naturæ debitum, non pœnam peccati.*

XX. Quarto objiciunt esse omnino impossibile duas sententias plane contrarias vigere inter Catholicos absque schismate, si præsertim una pars suam opinionem tanquam fide Catholica credendam, altera vero suam velut probabilem solummodo defendat: & continuo securiorem esse Sixti IV. Extravagantem à Tridentino Concilio auctoratam: quæ utramque partem liberam

 abs-

absque periculo hæreseos, schismatis aut peccati permittit. Ad hæc rependo, Theologorum consensu, quædam à nonnullis fide Catholica teneri posse propter majora motiva & lumina quæ de illis adepti sunt, ad quæ tamen alii nequaquam adstringuntur: vel quia in illis vestigandis non tantum opera posuerunt, vel quia illá scire aut indagare non tenentur, ut de Theologo & Rustico patet; inquit Gersonius prima Parte operum Tractatu *de Veritatibus quæ credendæ sunt de necessitate salutis*, sub finem opusculi. Nam Theologus fide Catholica multis assentitur Conclusionibus, ad quas indocti non obligantur. Quare à simili Facultas Parisiensis cum plurimum olei atque laboris in hac enodanda controversia impenderit: atque Synodum Basileensem rite & Canonice statuisse, ut fide Catholica teneretur, semper crediderit: jure meritoque neminem suorum aliter docere aut contrariam sequi opinionem in hunc diem passa est. Verumtamen illos qui docent B. Virginem conceptam esse in peccato originali hæreticis aut schismaticis minime annumerat, propterea quod videt Synodum Basileensem ob Curiæ Romanæ oppositiones atque exceptiones nullomodo venire potuisse in rem judicatam: quia enim Curia tuetur ampliorem esse Papæ quam Concilii auctoritatem, mordicus obstat ne quis eredat aut sibi persuadeat venerationem im-

immaculatæ Conceptionis robur habere à Synodo Basileensi: quam omni conatu subruere molitur: unde nuper ex tomis Concilorum generalium Romæ editorum Concilium Basileense tanquam Spurium & , ut vocant, Acephalum expunctum est: quod ad quæstionem facti spectat: contra quam nemo quantumvis innocentissimus & sanctissimus securus & munitus esse potest.

CAPUT VI.

I. *Sessione* XXXVII. *Synodi Basileensis quædam pro electione futuri Pontificis statuuntur, & Sessione* XXXVIII. *Patres respondent Bullis Eugenii quas vocant invectivas: deinde Sessione* XXXIX. *Amedeus Sabaudiæ Princeps qui in Eremum secesserat eligitur Pontifex.*

II. *Solennes Conventus habiti in Germania pro retinendis & vindicandis Concilii Basileensis Decretis.*

III. *Fridericus Imperator invitat Galliæ Regem, ut veniat aut mittat suos Oratores ad Conventus Germaniæ.*

IV. *Rex Franciæ Synodum Bituricensem cogit ubi Decreta Concilii Basileensis Sanctione pragmatica in rem judicatam missa sunt.*

V. *Eugenius & Patres Basileenses respective suos Oratores ad Carolum* VII. *Galliæ Regem diversum in finem ablegant; & de eorumdem postulatis.*

VI. *Prudentissima & piissma Caroli* VII. *responsio ad postulata Oratorum Eugenii & Synodi Basileensis.*

VII. *Propositio solennis facta Bituribus à Magistro Thoma de Corcellis Oratore Basileensis Concilii.*

VIII. *Edictum Regis Galliæ super Acta Concilii Basileensis contra Eugenium, & vicissim super Acta Eugenii contra Patres Basileenses.*

I. CÆterum evoluta controversia de immaculata Conceptione B. Virginis, ad

ad Synodi Basileensis Historiam revertor. Nam Patres Sessione XXXVII. nono Kalendas Novembris M CCCC XXXIX. quædam pro futura electione Pontificis statuunt. Deinde Sessione XXXVIII. tertio Kalendas Novembris invectivæ Eugenii respondent, qui Ferrariæ declaraverat Synodum Basileensem *Detorsisse in malignum sensum & à sana doctrina penitus alienum Decreta Synodi Constantiensis: ac proinde se tres veritates aut Conclusiones Sessione* XXXIII. *editas reprobare, & damnare juxta sensum Patrum Basileensium.* At, inquiunt Patres, Eugenius nominatim deberet declarare quonam sensu prædictas veritates approbare velit, nec ita generatim illas improbare. Porro rem tam claram atque apertam esse ut se ipsa fidem faciat. Ex indubitatis principiis Sessione II. XI. XII. & XXIX. positis, & aliis Actibus Synodalibus explicatis. Eadem quoque Sessione de alterius Pontificis electione, de Conclavi & Officiariis ejusdem Conclavis, &c. decernunt. Notandumque Æneam Sylvium Senensem, Canonicum Tridentinum alterum fuisse ex Clericis Ceremoniarum Conclavis.

Sessione XXXIX. XV. Kalendas Decembris M CCCC XXXIX. Amedeus Sabaudiæ Dux eligitur in Pontificem, cum secessisset Ripaliam Gebennensis diœcesis, ut vitam solitudini mandaret: quiquidem IV. Kalen-

lendas Martii M CCCCXL. Sessione XL. memoratæ electioni consensum præbuit, & Felix V. nuncupari voluit. At Sessione XLI. X. Kalendas Augusti literæ Eugenii contra Felicem V. ejusque Electores & ei adhærentes antiquantur à Patribus. Præterea VI. Idus Novembris iidem Patres Synodalem epistolam promulgant *ad Universos Christi fideles de obediendo Conciliis Generalibus, & cavendo ab ipsis qui illis non obediunt*: Legiturque inter Acta Synodi Basileensis, in qua Patres narrant trecentos aut circiter fuisse Prælatos, quando Eugenius depositus, nec multo pauciores quando Felix V. electus est.

II. Hæc autem dum Basileæ & Florentiæ gererentur, Nam Eugenius Ferrariense Concilium ob grassantem pestilentiam traduxerat Florentiam, Principes Christiani, Galli, Germani, Angli, Hispani, &c. qui desiderio reformandæ Ecclesiæ in capite & in membris incrementum Basileensi Concilio dederant; variis distrahebantur curis, eamque ob causam Germani primum Norimbergæ, deinde Francofurti sub Alberto Rege Romanorum, postremo Moguntiæ, sub Frederico Imperatore solennes agitarunt Conventus: atque Albertus Cæsar Conrardum Winspergensem Protectorem Concilii Basileensis constituit. His autem Conventibus Decretum est, ut Synodus Basileensis

Quan-

Quantum ad Canones latos pro disciplina Ecclesiastica & emendatione Ecclesiæ in capite & in membris sarcienda in rem judicatam transirent. Ipse Fredericus Imperator nunciis atque literis suis Carolum VII. Galliæ Regem invitavit, ut ad hos Germaniæ Conventus pro Ecclesiæ bono sese conferret aut saltem Oratores suos mitteret. Sed ipse Rex Franciæ Synodum Gallicanæ Ecclesiæ eandem ob causam Biturigibus coëgerat: Ibique condita est Sanctio pragmatica. Hic literas Cæsaris integras exscribam.

III. *Serenissimo Principi Carolo Francorum Regi Fratri & Consanguineo nostro charissimo.*

Fredericus Romanorum Rex semper Augustus Austriæ, Stiriæ, Carintiæ, & Carnioliæ Dux, Comes Tirolis, &c. Serenissimo Principi Carolo Regi Francorum Fratri & Consanguineo nostro charissimo salutem & Fraternæ dilectionis affectum. Dum ad Sacri Imperii fastigia Divino vocati munere tantæ moli gravissimæ gubernationis humeros nostros in Dei nomine, ne suæ ordinationi videremur resistere, sincero corde submisimus: inter innumera mala quibus undique Orbis terrarum concutitur, hoc maxime, quo certamen agitur ut ævo nostro sancta scindatur Ecclesia, animum nostrum eo premit ardentiusque solicitat, quo eidem Ecclesiæ Matri nostræ filiali dilectionis amore & nobili Advocationis Officio fortius constituimur obligati,

gati,

gati, ut illi ſæva nunc jacula patienti, pro viribus nobis diſtributis ab alto diligentia celeri ſuccurramus, atque ad concurrendum in hoc tam neceſſario ac ſalutari opere, Reges, & Principes Chriſtiano nomine gaudentes, pura ſinceritate hortemur. Nihil vero ad id æque patrocinaturum conſpicimus, quam ſi Catholici ſimul conveniamus, Reges, & Principes, Eccleſiaſtici, & Seculares, ut ſentiant quicumque diſſident unam eſſe vocem omnium. Tunc enim ſperandum quod nemo uſquam illam irridebit aut ſpernet, nemo non reverebitur, neque non timebit. Unde Venerabilium & Illuſtrium noſtrorum & Sacri Imperii Principum Electorum Oratoribus, qui pridem Decretum electionis de noſtra Perſona ad culmen Imperii celebratæ conſpectui noſtro attulerant; aliis quoque Prælatis, Principibus, Comitibus, Baronibus, Proceribus & viris Conſularibus noſtris fidelibus dilectis deliberate conſulentibus Conventionem ſeu Dietam ſolennem pro Communi conſtituimus omnium ſalute in civitate Moguntina rebus gerendis pluribus ex cauſis accommoda, in diem Feſtum Purificationis glorioſæ Virginis Mariæ proxime futurum, quæ erit II. *Menſis Februarii: ad quam dextera Dei nobis aſſiſtente propitia, intendimus perſonaliter nos transferre: Chariſſimam Fraternitatem Veſtram, pura cordis affectu rogantes, quatenus orthodoxorum progenitorum veſtrorum imitantes veſtigia, pro laude Dei,*

pro

pro consolatione Ecclesiæ suæ sanctæ ac totius Christiani Populi salute, ad Conventionem seu Dietam hujusmodi, idoneos vestros Oratores de vestræ Fraternæ dilectionis proposito viis quoque & modis, quibus ab imminentibus calamitatibus sancta possit respirare Ecclesia distincte instructos, & ad tractandum, consulendum, cooperandum, & concludendum in his plena vestra potestate fulcitos, illic destinare velitis. Si autem Fraternitas vestra ad Convocationem & Dietam eandem accedere posset, & vellet propria in Persona, id profecto ingentem gloriam & rebus gerendis fructum uberiorem afferret. Hortamur denique Fraternitatem vestram advertere velle mente fideli quæ sit nostra exhortatio, quantaque Ecclesiæ subsit necessitas, & quam periculosum esset nostrum silentium: & agere libeat quod expetimus propter salutem populi, ac decus vestrum: respicientes ad illum cujus causa agitur: qui de cælo descendit ut moriturus homo crucem ascenderet, in quo militans fundatur Ecclesia: quatenus in ea suborta tollantur dissidia, & à gravioribus periculis eruatur. Datum Viennæ anno Domini MCCCCXL. *mensis Maji. Regni nostri anno primo. Sic in pede literæ, Ad mandatum Domini Regis Conrardus Præpositus Viennensis Cancellarius.*

IV. Dum hæc agebantur vixdum Regnum Franciæ à bellis Anglicanis incipiebat recreari: Carolus autem VII. Rex cum Synodo Bituricensi atque aliis gravissimis negotiis

tiis distineretur, non potuit Moguntiam mittere. Ex omnibus autem Provinciis & Nationibus nulla erat Eugenio & Curiæ Romanæ merito infensior ipsa Germania, ob translationem Basileensis Concilii Ferrariam: qua translatione reconciliatio Bohemorum prorsus desperata erat. Quamobrem Eugenius de Conventibus Germaniæ, & quisnam futurus esset illorum exitus valde angebatur: actumque erat de illo, si tum Rex Galliæ Moguntiam misisset ad confirmandam Felicis V. electionem.

V. Itaque Eugenius diligenter per suos Nuncios quos ad Christianos Principes sedulo mittebat operam dabat ne iidem Principes Moguntiam mitterent: eumque in finem Oratores ad Regem Franciæ misit Bituri-gas, ubi Synodus Gallicana habebatur ad constituendam Pragmaticam sanctionem. Hic summam Actorum ab Oratoribus Eugenii & Concilii Basileensis ex gestis Authenticis atque obsignatis in eadem Synodo Bituricensi referam.

Oratores D. Eugenii D. Archiepiscopus Cretensis, Episcopus Dignensis, Granatensis, & Abbas de Cernaco, primo petierunt, ut Rex à tempore translationis Basileensis Concilii Ferrariam, Basileense Concilium reprobaret, & Ferrariense Concilium & in eo acta approbaret.

Secundo, ut nullo modo depositioni D. Eugenii consentiret, nec electionem per Basileense Conci-

cilium factam de Duce Sabaudiæ probaret, imo eam reprobaret.

Tertio, quod in illam civitatem Moguntiam nullo modo inconsulto Papa mitteret.

Quarto, quatenus Pragmaticam sanctionem vellet suspendi & tolli, & quod D. Eugenius provideret de beneficiis ad ejus desiderium.

In crastinum auditi sunt Ambasiatores Felicis V. & Concilii Basileensis DD. Gerardus Episcopus sancti Pontii, D. Abbas Virgiliacensis Magister Gulielmus Hugo Ecclesiæ Metensis Archidiaconus, & Magister Thomas de Corcellis Canonicus Ecclesiæ Parisiensis, & Doctor Theologiæ qui loquutus fuit solennissime & cum gratitudine omnium, & per duas horas tenuit, & valde Regi placuit.

VI. *Prælati autem qui convenerant Biturigas per sex dies deliberarunt & finaliter fuit responsum.*

In primis protestatur Rex quod sicut Christianissimus Princeps sequendo vestigia Patrum suorum paratus est audire Ecclesiam legitime congregatam.

Secundo, quod tenuerat Concilium Basileense pro legitimo, & ad ipsum Ambasiatores miserat, multa bona constituerat quæ approbabat, nec unquam congregationem Ferrariensem pro Concilio habuerat aut habebat.

Quod ad depositionem Eugenii & electionem Felicis, quia apud multos viros probos & graves dubitatio est non modica, an suspensio, depo-

depositio, & subsequens electio factæ Basileæ sint rite, juste, Canonice, & legtime celebratæ; dubium etiam est si illa congregatio illis diebus quibus hæc agitata & facta sunt sufficienter repræsentaverit Ecclesiam universalem, ad tantos & tam arduos actus exequendos, qui de proximo respiciunt totam Ecclesiam. Ideo Rex quia non est sufficienter informatus super prædictis perseverat & manet in obedientia D. Eugenii in qua nunc stat. Ubi autem debite informatus fuerit de veritate causæ istius per Oecumenicum Concilium, aut aliud generale, seu etiam per congregationem Ecclesiæ suæ Gallicanæ melius & extensius convocandæ cum Ducibus, Baronibus, & Confœderatis suis, aut in conventione Principum Christianorum: tunc veritate comperta & discussa, stabit cum ea & adhærebit veritati Catholicæ. Quare requirebat Papam quatenus Concilium convocaret & celebrari pocuraret & quod in eo personaliter interesset.

Quod ad mittendum Moguntiam ipse avisaret tempore opportuno quid agendum.

Quod ad Pragmaticam Sanctionem eam inviolabiter volebat observari, & si aliqua videntur nimis rigida in Concilio Basileensi, ut possent moderari.

Monuit etiam Ambasiatores Concilii Basileensis, quod tenerent manum ad aliud futurum Concilium.

Publicata in congregatione Bituris novissime cele-

celebrata Rege præsente, & de expresso mandato ejus, assistentibus ibidem Carolo de Andegavia, & aliis Dominis de regali prosapia, necnon & Oratoribus Domini Eugenii Papæ IV. *per D. Joannem de Campis Decanum Pictaviensem die Veneris* II. *Septemb. anno* M CCCC XL. *lecta etiam coram Oratoribus Concilii Basileensis me Secretario præsente.* N. FRIBOIS.

Porro hujus Legationis Oratorum Eugenii & Synodi Basileensis celebris exstat mentio in Sanctione Pragmatica statim initio, ubi Guimierius nomina Oratorum sigillatim recenset in suo Commentario: estque inter alia dignum observatione Oratores Eugenii tantum petiisse à Rege Franciæ, ut Basileense Concilium ab eo tempore repudiaret, quo translatum fuerat Ferrariam & Felicem elegerat: atque Regem de Concilio Ecclesiæ Gallicanæ respondisse quod omnia Acta Synodi Basileensis probaret, excepta depositione Eugenii & electione Felicis: quoniam dubium atque incertum esset, an Synodus Basileensis quando Eugenium abdicavit sufficienter Ecclesiam universalem repræsentaret. Quocirca Rex ea de re amplius informari desiderat polliceturque se manus daturum veritati quamprimum ei veritas innotuerit. Hercle locus est dubitandi utrum illo tempore Synodus Basileensis sufficienter Ecclesiam universalem repræsentarit post Conclusionem factam Sessione XXXIII. pro asser-

assertione trium veritatum: quia tum multi Prælati abierunt Basilea cum cernerent futurum, ut Eugenius exauctoraretur, timerentque ne id causam schismati præberet: cujus tum memoria erat recens. Porro, ex hoc Regis responsione claret qui tum fuerit sensus & fides Gallicanæ Ecclesiæ de Synodi Constantiensis & Basileensis Decretis: quia Ecclesia Gallicana Juris quæstionem, *An Concilium generale legitime congregatum possit abdicare Papam*, nullo modo revocat in dubium, sed duntaxat quæstionem facti: *Utrum Synodus Basileensis quando Eugenium abdicavit, Ecclesiam universalem sufficienter repræsentarit.* Quæ responsio singularem prudentiam & pietatem Gallicanæ Ecclesiæ, de cujus consilio facta est, commendat, & Joannis Calvini Argumento sub finem Epistolæ Apologeticæ suarum Institutionum abunde satisfacit. Quærit enim Calvinus ut fieri possit Eugenium à Concilio Basileensi abdicatum dehinc Cardinales, Episcopos, & Presbyteros creare, cæteraque officia Papalia exercere potuisse, cum non amplius esset Pontifex. Nam sicut Rex respondet controversia est an tum Synodus Basileensis Ecclesiam universalem sufficienter repræsentarit quando Eugenium exauctoravit.

Verum, quia Propositio Oratorum Basileensis Concilii facta Regi Christianissimo in Synodo Gallicana mirum in modum con-

celebrata Rege præsente, & de expresso mandato ejus, assistentibus ibidem Carolo de Andegavia, & aliis Dominis de regali prosapia, necnon & Oratoribus Domini Eugenii Papæ IV. *per D. Joannem de Campis Decanum Pictaviensem die Veneris* II. *Septemb. anno* M CCCC XL. *lecta etiam coram Oratoribus Concilii Basileensis me Secretario præsente.* N. FRIBOIS.

Porro hujus Legationis Oratorum Eugenii & Synodi Basileensis celebris exstat mentio in Sanctione Pragmatica statim initio, ubi Guimierius nomina Oratorum sigillatim recenset in suo Commentario: estque inter alia dignum observatione Oratores Eugenii tantum petiisse à Rege Franciæ, ut Basileense Concilium ab eo tempore repudiaret, quo translatum fuerat Ferrariam & Felicem elegerat: atque Regem de Concilio Ecclesiæ Gallicanæ respondisse quod omnia Acta Synodi Basileensis probaret, excepta depositione Eugenii & electione Felicis: quoniam dubium atque incertum esset, an Synodus Basileensis quando Eugenium abdicavit sufficienter Ecclesiam universalem repræsentaret. Quocirca Rex ea de re amplius informari desiderat polliceturque se manus daturum veritati quamprimum ei veritas innotuerit. Hercle locus est dubitandi utrum illo tempore Synodus Basileensis sufficienter Ecclesiam universalem repræsentarit post Conclusionem factam Sessione XXXIII. pro

asser-

assertione trium veritatum: quia tum multi Prælati abierunt Basilea cum cernerent futurum, ut Eugenius exauctoraretur, timerentque ne id causam schismati præberet: cujus tum memoria erat recens. Porro, ex hoc Regis responsione claret qui tum fuerit sensus & fides Gallicanæ Ecclesiæ de Synodi Constantiensis & Basileensis Decretis: quia Ecclesia Gallicana Juris quæstionem, *An Concilium generale legitime congregatum possit abdicare Papam*, nullo modo revocat in dubium, sed duntaxat quæstionem facti: *Utrum Synodus Basileensis quando Eugenium abdicavit, Ecclesiam universalem sufficienter repræsentarit.* Quæ responsio singularem prudentiam & pietatem Gallicanæ Ecclesiæ, de cujus consilio facta est, commendat, & Joannis Calvini Argumento sub finem Epistolæ Apologeticæ suarum Institutionum abunde satisfacit. Quærit enim Calvinus ut fieri possit Eugenium à Concilio Basileensi abdicatum dehinc Cardinales, Episcopos, & Presbyteros creare, cæteraque officia Papalia exercere potuisse, cum non amplius esset Pontifex. Nam sicut Rex respondet controversia est an tum Synodus Basileensis Ecclesiam universalem sufficienter repræsentarit quando Eugenium exauctoravit.

Verum, quia Propositio Oratorum Basileensis Concilii facta Regi Christianissimo in Synodo Gallicana mirum in modum con-

ducit ad Historiam Ecclesiasticam continetque sigillatim capita Postulationum Eugenii Papæ per suos Oratores. Ideo illam integram hic apponam.

Propositio solennis facta Biturigibus præsente Rege in Concilio Ecclesiæ Gallicanæ, per famosissimum Doctorem Magistrum Thomam de Corsellis Doctorem Parisiensem, & Nuncium Concilii Basileensis, anno MCCCCXL.

VII. „PRo exponendis quæ à Sancta generali Synodo Basileensi, universalem Ecclesiam repræsentante, nobis injuncta sunt, initium dicendi à verbo Sacræ Scripturæ sumemus (quod Thobiæ 11. scriptum est) *Vitam expectamus quam Deus daturus est illis qui fidem suam nunquam mutaverunt ab eo.* Illa quidem sancta Synodus quæ pro sustentatione & defensione fidei Orthodoxæ longo tempore magnos pertulit labores, multam consolationem recipit in Domino, dum attendit constantiam vestræ Majestatis vestrique Regni, ô Christianissime Rex in ejusdem fidei conservatione, in qua more fidelissimi Thobiæ, qui in tribulatione positus viam veritatis non deseruit, absque variatione non obstantibus quibuscumque vexationibus assidue perseverat eadem vestra Majestas, magnum ex hoc susceptura

„præ-

„ præmium æternæ retributionis favente au-
„ ctore salutis, congratulansque plurima
„ exultatione eadem Synodus Regiæ subli-
„ mitati merito dicit ad eam, *vitam expecta-*
„ *mus quam Deus daturus est illis qui fidem suam*
„ *nunquam mutaverunt ab eo.* Ut autem dicen-
„ dis ordo conveniens tribuatur; primo, di-
„ cemus de ea communi & Catholica fide
„ quam sancta Basileensis & hoc Christianis-
„ simum Regnum jugiter absque variatione
„ tenuerunt: secundo, exponemus quomo-
„ do pro ipsius fidei conservatione necesse fuit
„ ferri justam sententiam in eum qui eam fi-
„ dem nimium dure impugnabat: tertio, di-
„ cemus quomodo oportuit Pastorem Ca-
„ tholicum eligi, qui fidem ipsam & statum
„ Ecclesiæ sustineret ac defenderet.

„ Quantum ad primum, satis notum est
„ omnibus Christianis quomodo in sacro
„ Constantiensi Concilio, cum de reforma-
„ tione Ecclesiæ in capite & in membris agen-
„ dum esset, fuit solenniter definitum & de-
„ claratum, *quod sacra generalis Synodus,*
„ *universalem Ecclesiam repræsentans, potesta-*
„ *tem a Christo immediate habet cui quilibet*
„ *cujuscumque status & dignitatis, etiamsi Papa-*
„ *lis, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem*
„ *ad extirpationem schismatis, & ad reforma-*
„ *tionem Ecclesiæ in capite & in membris: &*
„ *quod si in prædictis & pertinentibus ad ea con-*
„ *tumaciter obedire contempserit, condignæ pœnæ*

„*subjiciatur, & debite puniatur, ad alia juri*
„*remedia, si opus sit, recurrendo.* Nec dubi-
„um est hanc esse declarationem fidei Catho-
„licæ, quæ est de auctoritate data Ecclesiæ
„immediate à Christo, qui est veritas prima
„& primum objectum fidei, à quo dependet
„universa fides nostra. Vigore autem hujus
„declarationis fuit postea editum Capitulum
„*Frequens*, etiam postquam omnes obedien-
„tiæ ibidem advenerant, in quo statutæ sunt
„pœnæ in casu quo schisma insurgeret, non
„sedente Concilio contra Papam, si non con-
„gregaret Concilium infra annum, aut si
„personaliter ad ipsum non veniret, vide-
„licet pœnæ cadendi à jure Papatus & inha-
„bilitationis ad omnes dignitates active &
„passive: quas pœnas non potuisset statuere
„ipsa Synodus Constantiensis in illum qui
„haberet verum jus in Papatu, nisi ad hoc
„auctoritatem immediate à Christo habuis-
„set, quemadmodum in prædicta declara-
„tione ponitur. Deinde in XL. Sessione ejus-
„dem Synodi Constantiensis (quam impu-
„gnantes auctoritatem sacrorum Concilio-
„rum pro se allegatam volunt, & tamen
„contra eos multum facit) dicitur, *quod*
„*sancta Synodus statuit & decrevit, quod Pa-*
„*pa futurus cum Concilio aut Deputatis Na-*
„*tionum habeat reformare Ecclesiam in capite*
„*& in membris, super certis articulis* ibi-
„dem descriptis, *ut de Annatis, de Collatio-*
ni-

„ *nibus beneficiorum*, & aliis pluribus: inter quos „ articulos ponitur ille, *Item propter quæ & „ quomodo Papa possit corrigi & deponi.* Ex hoc „ enim apparet primo, quod in facto hujus „ correctionis & depositionis Papa subjicitur „ Judicio Concilii generalis, quando Conci- „ lium statuit & decrevit quod Papa futurus „ habeat sic facere. Nam si Papa esset superior „ in hoc ipsi Concilio, Concilium non impo- „ neret ei legem super hoc, statuendo & de- „ cernendo: sed exhortaretur potius, vel sup- „ plicaret aut aliquid hujusmodi: si enim par „ in parem non habet imperium, à fortiori nec „ inferior in superiorem. In hoc etiam Decre- „ to XL. Sessionis non revocabatur in dubium „ an Papa posset corrigi & deponi, imo illud „ præsupponebatur: sed decernebat Conci- „ lium, quod magis particulariter exprimeren- „ tur casus per Papam futurum cum Concilio „ & deputatis nationum, propter quos Papa „ haberet corrigi & deponi, & modus per „ quem hoc fieret, & hoc intelligebatur in iis „ quæ ad reformationem pertinent: Nam „ ille articulus ponebatur inter articulos re- „ formationis faciendæ, sicut textus illius „ Sessionis clare ostendit.

„ Post hæc omnia, Papa Martinus cum toto „ Concilio debit litteras ad Prælatos & Inqui- „ sitores in quibus continentur articuli Joan. „ Wiclef, & Joan. Hus inter quos iste ponitur „ artic. XLI. *Non est de necessitate salutis cre-*

„*dere Rom. Ecclesiam esse supremam inter alias*
„*Ecclesias*: super quo dicit Papa approbante
„Concilio, *Error est si per Romanam Ecclesian*
„*intelligat universalem Ecclesiam, aut Conci*
„*lium generale, aut pro quanto negaret Prima*
„*tum summi Pontificis super alias Ecclesias par-*
„*ticulares*. Deinde in interrogatorio in iisden
„litteris posito, super quibus haberent in
„terrogari suspecti de hæresi Hussitarum
„ponuntur sequentia. *Interrogetur utrum cre*
„*dat quod quodlibet Concilium generale etian*
„*Constantiense universalem Ecclesiam repræ*
„*sentet*. Ex quibus manefestum est quod pe
„Papam Martinum & Cardinales qui tun
„ibi communiter aderant XXIII. una cun
„toto Concilio fuit approbatum quod Con
„cilium generale habeat supremitatem in Ec
„clesiam, & quod universalem Ecclesian
„repræsentabat. Et quia aliqui volunt dicer
„quod declaratio supra posita *de potestate im*
„*mediate à Christo, &c.* non fuit facta pe
„Ecclesiam, eo quod tunc non erant in Con
„stantia omnes obedientiæ, sed sola obe
„dientia Joannis XXIII. patet quod ex isti
„litteris Martini Papæ & totius Concilii aper
„te confutantur. Nam in prædictis interroga
„toriis ponuntur sequentia. *Item interrogetu*
„*utrum credit quod sententia lata super condem*
„*natione articulorum Joannis Hus, & Joann*
„*Wiclef per sacrum Concilium fuerit rite & le*
„*gitime lata*. Et tamen manifestum est quo
„ill

„illa ſententia fuit lata antequam eſſent ibi „tres obedientiæ. Similiter etiam ponit inter- „rogatorium de declaratione facta in Conci- „lio Conſtant. ſuper communione Domini- „cæ Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, quæ „fuit facta dum adhuc ibi erat ſola obedientia „Joannis: & ſic apparet ex decurſu littera- „rum prædictarum, quod Martinus appro- „bat fuiſſe verum Concilium Conſtantienſe „repræſentans univerſalem Eccleſiam, non „ſolum pro tempore quo jam ibi erant tres „obedientiæ, ſed etiam pro tempore præce- „denti, in quo licet non ibi eſſent actu omnes, „tamen omnes erant vocatæ, & poſtquam ibi „fuerunt, approbaverunt ibi antea fuiſſe Con- „cilium, ſicut apparet ex tenore litterarum „prædictarum. Et ſic auctoritate Apoſtolica „& univerſalis Eccleſiæ, per Papam, Car- „dinales, & omnes qui tunc in Concilio Con- „ſtantienſi aderant, confutatur ipſorum po- „ſitio qui nunc auctoritatem Conciliorum „generalium impugnare volunt.

„Patet etiam dictum eorum nullam habe- „re apparentiam quo dicunt prædictam de- „clarationem *de auctoritate immediate data a* „*Chriſto, &c.* factam fuiſſe ſolum pro Con- „ſtantienſi, & non pro aliis, cum dicatur in „prædicta declaratione, *Si quis, cujuſcumque* „*dignitatis, etiamſi Papalis, ſtatutis, & man-* „*datis hujus ſanctæ Synodi, & cujuslibet al-* „*terius Concilii generalis legitime congregati,*

 „*obe-*

„*obedire contempserit*, *&c.* Etiam, quæ ap-
„parentia moverit ad dicendum quod Conci-
„lium Constantiense habuisset immediate au-
„ctoritatem à Christo & alia non; quodque
„quatuor prima Concilia generalia, quæ tan-
„tæ auctoritatis fuerunt, non habuerunt
„immediate auctoritatem à Christo, & Con-
„cilium Constantiense illam habuerit.

„Sed deinde videamus, quomodo in sacro
„Basileensi Concilio & per universalem Ec-
„clesiam, & expresse per Sedem Apostoli-
„cam hæc auctoritas Conciliorum roborata
„sit. Notum est quod secunda Sessione Con-
„cilii Basileensis fuit repetita declaratio illa
„quæ in Concilio Constantiensi facta fuerat,
„dicente sancta Synodo quod ipsum in De-
„cretis suis insequi volebat, & eandem dein-
„ceps in pluribus Decretis & Epistolis repe-
„tiit. Cumque post attentatam prætensam
„dissolutionem Concilii, venissent Oratores
„summi Pontificis qui pro tempore erant,
„argumentantes plura contra Conciliorum
„auctoritatem, fuit eis facta solennis respon-
„sio, quæ incipit *Cogitanti huic sacræ generali*
„*Synodo*, satis per mundum divulgata, in
„qua multipliciter fuit elucidata doctrina illa
„de auctoritate Conciliorum, fuitque respon-
„sum argumentationibus quæ in oppositum
„adducebantur: & post hæc omnia summus
„Pontifex, qui pro tunc erat, adhæsit Conci-
„lio hanc doctrinam notorie tenenti & pro-
„mul-

„ mulganti dixitque, ipſum ab initio ſui fuiſſe
„ legitime continuatum, non obſtante diſſo-
„ lutione per eum facta: quam declaravit nul-
„ lam, irritam, & inanem, revocando cer-
„ tas litteras incipientes *Inſcrutabilis*, & in ar-
„ canco in ſuo palatio promulgatas; & etiam
„ alias ſuo nomine confectas incipientes *Deus*
„ *novit*. Quod quidem per eum & ſuo nomine
„ contra auctoritatem Concilii Baſileenſis fa-
„ ctum, attentatum, ſeu aſſertum erat: un-
„ de cum declaravit ipſum fuiſſe & eſſe Conci-
„ lium legitimum, & ſibi tanquam tali adhæſit
„ faciendo etiam revocationes & declarationes
„ prædictas, manifeſtum eſt quod judicavit il-
„ lud non eſſe erroneum, nec doctrinam hære-
„ ticam tenens; ſicut nunc ipſi Concilio impin-
„ gere conatur: condemnantes quantum in ſe
„ eſt Apoſtolicam & Catholicam doctrinam,
„ & tam Papam, quam Cardinales, alios Præ-
„ latos, & Eccleſiaſticos viros, atque etiam
„ Principes ſeculi, & etiam Oratores ipſorum
„ de errore notantes, qui etiam ſacro Concilio
„ Baſileenſi, præfatam doctrinam tenenti &
„ proſequenti, adhæſerunt. Sicut autem in
„ hac doctrina fidei invariabili perſeveravit
„ ſancta Synodus, ſic etiam ſpecialiter hoc
„ Chriſtianiſſimum Regnum eadem aſſidue
„ tenuit. Nam primo tempore Concilii Piſa-
„ ni, dum auctoritate ipſius Concilii ſenten-
„ tia lata eſt in duos contendentes de Pa-
„ patu (quorum alterum oportebat in Papatu

„ jus habere) Rex clarissimæ memoriæ ge
„ nitor vester, sententiæ Concilii obedivi
„ & eum quem Papam reputaverat deseruit
„ similiter tempore Concilii Constantiensis
„ lata sententia contra Joannem XXIII
„ quem verum Papam Rex & Regnum re
„ putabant: obedivit Rex ipse sententia
„ Concilii, & non ulterius ipsi Joanni: in
„ tersfueruntque Oratores regii, & alii præ
„ clarissimi de hoc Regno in ipso Concili
„ Constantiensi, ut Cardinalis Cameracen
„ sis, Cancellarius Parisiensis, & cæteri per
„ multi tam ibi quam in Concilio Pisano, i
„ tanto numero Prælatorum, & Doctorur
„ ac peritissimorum, cui nunc vix similis pos
„ set inveniri. Et generaliter à principio se
„ culi, licet Reges Francorum Sedem Apo
„ stolicam, & summos Pontifices adversi
„ tyrannos eos invadentes sæpenumero defer
„ derint, nunquam tamen reperitur aliquei
„ Regem obedivisse cuicumque summo Pon
„ tifici postquam per sententiam Concilii ge
„ neralis depositus extitisset: sed & tempor
„ Concilii Basileensis Vestra Majestas aucto
„ ritatem Conciliorum generalium & Decl
„ rationem fidei in Concilio Constantiensi f
„ ctam jugiter sustinuit: & toto tempore a
„ tentatæ primæ dissolutionis nequaquam i
„ prætensæ dissolutioni paruit, sed cum Co
„ cilio stetit, & ad ipsum suos Oratores tra
„ misit. Deinde in revocatione ejusdem dec

„

„rationis solenniter facta, suos Oratores habuit. Postmodum, tempore attentæ secundæ dissolutionis & prætensæ tanslationis in Ferrariam, hujusmodi dissolutioni & translationi restitit, eaque non obstante, Concilium Basileense tanquam verum Concilium universalem repræsentans Ecclesiam reputavit. Et insuper voce præconis per civitates regni proclamari fecit, ne quis in Ferrariam tamquam ad generale Concilium ire auderet. Demum eamdem declarationem de Conciliorum auctoritate, in sua Pragmatica sanctione inseruit: Sicque in hac eadem fide vestra Majestas & Christianissimum Regnum semper fuit.

„Neque necessarium esset pro his, quæ per Ecclesiam determinata sunt, allegationes aliarum auctoritatum & doctrinarum facere, quoniam facta declaratione illam credere oportet: tamen quoniam dictum est per eos qui adversus sacrum Concilium proponunt hanc esse, novam doctrinam, & multa in contrarium dicta sunt per eos (quamvis deberent bene contenti esse de acquiescendo determinationi Ecclesiæ, & existimare quod alii qui in Conciliis Constantiensi & Basileensi fuerunt, & interfuerunt hujusmodi determinationibus, viderunt libros & doctrinas sanctorum Doctorum sicut ipsi, cum etiam in Concilio Constantiensi fuerint factæ plures allegationes per

„bonæ

„ bonæ memoriæ Patriarcham Antioche-„ num, cui reſponſionem fecit Dominus Car-„ dinalis Cameracenſis colendæ etiam memo-„ riæ: & per alios Prælatos & Viros, tam „ in Concilio Conſtantienſi quam Baſileenſi, „ plurimum hæc materia agitata fuerit) ad „ magis ſatisfaciendum omnibus, allegati-„ ones aliquas ſanctorum & Doctorum addu-„ cam. Primo enim, totum Collegium A-„ poſtolorum beatorum ita practicavit, quo-„ niam poſt declarationem habitam in ſuo „ Concilio Hieroſolymitano non dicebant ſic „ in Concluſione *Viſum eſt Petro*, ſed *Spiri-„ tui ſancto & nobis*: nec dicebant ita *placet „ Petro*, ſed *placuit Apoſtolis & Senioribus cum „ omni Eccleſia*: attribuentes Spiritui ſancto „ & toti Concilio auctoritatem ejus quod ibi-„ dem Decretum erat. Deinde beatus Augu-„ ſtinus ad Glorium, Eleuſium, & cæteros „ Donatiſtas ait, quod poſt ſententiam latam „ Romæ per Melchiadem Papam & collegas „ ſuos, *reſtabat plenarium univerſalis Eccleſiæ „ Concilium, in quo ſi illi qui male judicaverant, „ male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ „ ſolverentur.* Ecce quomodo clariſſime dicit „ poſt ſententiam Papæ, reſtare plenarium „ Concilium, in quo hujuſmodi ſententia ſol-„ vi poſſet. Idem in Epiſtola ad Hieronymum „ expreſſe dicit, quod Petrus aſtringebatur „ ſervare Decretum Concilii generalis, dicen-„ do hæc verba: Itaque poſt Concilium cele-

„ bra-

„ bratum Hierosolymis cum Petrus habuit il-
„ lam in Antiochia simulationem, *quid mirum*
„ *si constringebat eum Paulus libere asserere, quod*
„ *cum cæteris Apostolis se Hierosolymis decre-*
„ *visse meminerat?* In libro de Agone Christia-
„ no etiam expresse dicit quomodo Ecclesia
„ recepit Petrum ad Primatum; & quomodo
„ ipsa habet claves: ubi loquens de Episcopis
„ Arrianis dicit, *hos Ecclesia Catholica materno*
„ *recepit sinu, tanquam Petrum post fletum nega-*
„ *tionis per galli cantum admonitum: aut tan-*
„ *quam eumdem post pravam simulationem Pauli*
„ *voce correptum*: & subdit statim post, *Nec*
„ *eos audiamus qui negant Ecclesiam posse omnia*
„ *peccata dimittere. Itaque miseri, dum in Pe-*
„ *tro Petram non intelligunt, nolunt credere da-*
„ *tas Ecclesiæ claves regni cælorum, ipsi eas de*
„ *manibus amiserunt.* Multa alia ex beato Au-
„ gustino allegari possent, & ex iis quæ dicit
„ super Joannem, ut in eo quod recitatur in
„ Can. *Quodcumque*, XXIV. quæst. I. *Si hoc*
„ *Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia:*
„ & aliis pluribus passibus super eodem Euan-
„ gelio, necnon in libris de unico baptismo, &
„ aliis quæ gratia brevitatis prætermittuntur
„ ad præsens. Sed unum dicit super Psalmo
„ CVIII. quod multum notandum est, videli-
„ cet quod *quædam dicuntur quæ ad Apostolum*
„ *Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen ha-*
„ *bent illustrem intellectum nisi cum referuntur ad*
„ *Ecclesiam cujus ille agnoscitur in figura gestasse*
„ *perso-*

„*personam, propter Primatum quem in discip*
„*lis habuit, sicut est, Tibi dabo claves reg*
„*cælorum*: & si qua hujusmodi. Beatus ver
„Ambrosius in Principio sui Pastoralis ai
„*Repetitum est à Domino tertio Pasce oves mea*
„*quas oves & quem gregem non solum tunc be*
„*tus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas susce*
„*pit, & cum illo eas nos suscepimus omne.*
„Item, idem in quadam præfatione pe
„Christum Dominum nostrum, qui emi
„nentiam potestatis acceptæ Ecclesiæ contu
„lit, quam pro honore suscepto, *Reginan*
„*constituit & sponsam, cujus sublimitati uni-*
„*versa subjecit*: Esse autem reginam & spon
„sam non sunt prædicata quæ attribuantu
„soli Papæ, sed attribuuntur Ecclesiæ.
„Deinde beatus Hieronymus in Epistola ac
„Heliodorum, & recitatur in Can. *Non om-*
„*nes* II. quæst. VII. dicit, *non est facile stare*
„*in loco Petri, & Pauli tenere vitam jam cum*
„*Christo viventium*: *Sal infatuatum ad nihi-*
„*lum valet ultra nisi ut foras ejiciatur*: super
„quo verbo dicit glossa, id est *deponatur*:
„& loquitur expresse de illo qui stat in loco
„Petri. Idem in Epistola ad Evagrium dist.
„XCV. Can. *Legimus*, de comparatione au-
„ctoritatis Ecclesiæ universalis ad auctorita-
„tem Ecclesiæ Romanæ expresse loquens
„dicit, *Nec altera Romanæ urbis Ecclesia*,
„*altera totius Orbis existimanda est*: & subdit,
„*Si auctoritas quæritur, Orbis est major Urbe*:
„Nec

„Nec valet reſponſio quorumdam dicen-
„tium quod ibi loquitur ſolum de conſuetu-
„dine, cum expreſſe in eodem textu loqua-
„tur de legibus Eccleſiæ, dicens: *Quid mihi*
„*præfers unius Urbis conſuetudinem: quid*
„*paucitatem de qua ortum eſt ſupercilium in le-*
„*ges Eccleſiæ vendicas?* Et gloſſa ſuper eo-
„dem Can. *Legimus*, dicit Archid. *quod ſtatu-*
„*tum Concilii præjudicat ſtatuto Papæ.* Deinde
„in Can. *Omnibus* XXIV. quæſt. I. quod ipſi
„beato Hieronymo attribuitur, quod etiam
„expreſſe reperitur apud beatum Auguſti-
„num in lib. *de unico baptiſmo*, exponitur
„auctoritas enumerata de domo Eccleſiæ,
„cum dicit, *hanc domum ſi quis corrigentem*
„*corripientemque contempſerit ſit tibi tanquam*
„*ethnicus & publicanus.* per domum autem
„Eccleſiæ non intelligitur perſona Papæ ſola.
„Inſuper glorioſus martyr Cyprianus in E-
„piſtola ad Antonianum dicit de Novatiano
„qui contra Cornelium de Epiſcopatu urbis
„Romæ, hoc eſt, de Papatu contendebat,
„quod etiamſi Epiſcopus eſſet, Epiſcopa-
„tum, hoc eſt, ipſum Papatum, tenere
„non poſſet, dum à Coepiſcoporum corpo-
„re & unitate Eccleſiæ diſcedebat, & loqui-
„tur etiam quando ſeparat ſe ſine hæreſi, ut
„patet legenti illam Epiſtolam, & ſubdit
„ibidem. *Qui ergo nec unitatem ſpiritus, nec*
„*conjunctionem pacis obſervat, & ſe ab Eccle-*
„*ſiæ unitate atque à ſacerdotum Collegio ſepa-*
„*rat*,

„*rat, Episcopi nec potestatem potest habere ne*
„*honorem qui Episcopatus nec unitatem volui*
„*tenere nec pacem.* Ecce quomodo aperte de
„clarat quod etiam verus Papa habet perde
„re Papatum, separando se ab unitate Ec
„clesiæ & à Collegio sacerdotum; quod ve
„rissime accidit quando separat se à Concili
„generali universalem Ecclesiam repræsen
„tante. Post hæc autem beatus Gregorius i
„registro, Epistola ad Joannem Patriarchan
„Constantinopolitanum dicit, nos in quibu
„per ausum temerarium culpa committitur
„servamus quod veritas præcipit dicens, S
„peccaverit in te Frater tuus, si Ecclesiam
„non audierit sit tibi tanquam ethnicus & pu-
„blicanus, & subdit: *Quidquid humiliter facer*
„*debui non obmisi, sed quia in mea correption*
„*despicior, restat & ut Ecclesiam adire debeam*
„Ecce quomodo ipse Papa erat decebat quoc
„adiret Ecclesiam juxta verbum Euangeli-
„cum: at quomodo Ecclesiam quæ hoc
„judicaret convenientius adire poterat quam
„adeundo Concilium universale? Item
„ipse Gregorius in alia Epistola quæ reci-
„tatur in Can. *Sicut sancti* xv. dist. expres-
„se determinat quomodo Papa seipsum
„destruit, qui præsumit solvere quos li-
„gant generalia Concilia, aut ligare, quos
„absolvunt: hæc enim sunt verba ejus
„ibidem, *Cunctas vero personas quas Præ-*
„*fata Concilia respuunt respuo, quas vene-*
ran-

„*rantur amplector* : *quia dum universali con-*
„*sensu constituta sunt*, *seipsum & non illa de-*
„*struit*, *quisquis præsumit absolvere quos ligant*,
„*aut ligare quos absolvunt*. Et super eodem
„Can. *Sicut sancti*, dicit Archidiaconus &
„etiam Hugu. quod hæc intelliguntur in
„iis quæ ad fidem pertinent & salutem, &
„generalem statum Ecclesiæ: & illi Docto-
„res ponunt * ordinem inter Canones Con-
„ciliorum & Decreta summorum Pontifi-
„cum, ut patet Can. *De quibus* xx. dist. ubi
„dicunt quod hic traditur plenius quis sit ordo
„servandus in solutione quæstionis: Nam
„primo recurrendum est ad rescripta Novi
„vel Veteris Testamenti, secundo, ad Ca-
„nones Apostolorum vel Conciliorum,
„tertio, ad Decreta Romanorum Ponti-
„ficum, deinde, ad scripta Doctorum. Vi-
„demus etiam quod in volumine Decreto-
„rum cum tractatur de Constitutionibus
„Ecclesiæ, primo agitur de Canonibus Con-
„ciliorum, deinde de Decretis & Decreta-
„libus Romanorum Pontificum, & post-
„quam multa de auctoritate ipsarum De-
„cretalium & Romanorum Pontificum
„dicta sunt, & quomodo ab ipso Romano
„Pontifice alia dependent (sicut allegatum
„est in fine) tamen dicit Gratianus in Can. *Ita*
„*Dominus*, XIX. dist. *Hoc autem intelligendum*
„*est de illis Sanctionibus vel Decretalibus Epi-*

* *Nota hunc ordinem.*

,, *stolis, in quibus nec præcedentium Patrum De-*
,, *cretis, nec Euangelistarum præceptis aliqui*
,, *contrarium invenitur* : & exemplificatur d
,, Anastasio II. qui quia rescriptum illicite &
,, non Canonice dederat, reprobatur : Se
,, & alii sancti & summi Pontifices quid cen
,, seant de auctoritate Conciliorum & Cano
,, num suorum satis liquet, cum dicit beatu
,, Papa Damasus, xxv. q. 1. Can. *Violatore*
,, *sacrorum Canonum voluntarii graviter à san*
,, *ctis Patribus judicantur, & à Sancto Spiri*
,, *tu, instinctu cujus ac dono dictati sunt, da*
,, *mnantur, quoniam blasphemare in Spiritum*
,, *Sanctum non incongrue videntur* : Et bea
,, tus Cælestinus Papa dicebat, scriben
,, Concilio Ephesino, *Spiritus Sancti præsen*
,, *tiam testatur congregatio sacerdotum* : E
,, Leo IV. dicebat, ut in Can. *Requiritis*, 1
,, quæst. VII. loquens de Simoniacis con
,, victis, *qui tam detestabile nefas (quod jam*
,, *multis est damnatum Conciliis) peregisse no*
,, *scuntur, nulla possumus pœnitentia subvenire*
,, *& tot spiritualibus Patribus obviare* : supe
,, quo verbo allegat glossa Can. *Sunt quidam*
,, & Can. *Contra statuta*, xxv. quæst. 1. I
,, ipso autem Can. *Sunt quidam*, dicit Ur
,, banus Papa, *Sunt quidam dicentes Roma*
,, *no Pontifici semper novas licuisse condere leges*
,, *quod & nos non solum non negamus, sed eti*
,, *am valde affirmamus. Sciendum vero sum*
,, *mopere est, quia inde novas leges condere p*
,, *test*

„ *test, unde Euangelistæ aliquid & Prophetæ*
„ *nequaquam dixerunt: Ubi vero aperte Domi-*
„ *nus vel Apostoli ejus vel eos sequentes sancti*
„ *Patres sententialiter aliquid definierunt, ibi*
„ *non novam legem Romanus Pontifex dare, sed*
„ *potius quod prædicatum est usque ad animam*
„ *& sanguinem confirmare debet. Si enim quod*
„ *docuerunt Apostoli & Prophetæ destruere*
„ *(quod absit) niteretur, non sententiam dare sed*
„ *magis errare convinceretur.* Et super illo
„ Can. dicit Archid. quod ubicumque deco-
„ loratur status Ecclesiæ, Papa non dispen-
„ sat. Et in Can. *Contra Statuta Patrum*, di-
„ cit Zozimus Papa, *Contra statuta Patrum nec*
„ *hujus quidem Sedis potest auctoritas*. Pauca pro
„ nunc allegasse sufficiat: Nam auctoritates
„ quæ in hanc partem faciunt nullatenus
„ brevi tempore expleri possent, cum jam de
„ hac materia magni libri scripti sint, in qui-
„ bus potest latius conspici: & omnes auctori-
„ tates quas allegavimus parati sumus in scri-
„ ptis ostendere. Sed & si qui Doctores vide-
„ rentur quicquam sensisse in adversum, ta-
„ men jam cessare haberent opiniones eorum,
„ ubi advenit determinatio Ecclesiæ: quoni-
„ am hæc est Sententia omnium Doctorum &
„ Juris Divini & Canonici, quod ubi contrariæ
„ opiniones in materia Fidei vel Juris Domi-
„ nici insurrexerunt, adveniente determinati-
„ one Ecclesiæ, standum est in ea: & qui post
„ hoc pertinaciter oppositum sustinere volue-
„ rit, hæreticus est censendus. „ Nec

„Nec ullatenus sunt audiendi qui ad alli-
„ciendum Reges & Principes in contrarium
„auctoritatis Conciliorum dicunt, quod si
„Concilia Generalia possent corrigere & de-
„ponere Summos Pontifices, pari ratione
„quod populi haberent corrigere & deponere
„Principes seculares. Qui enim talia dicunt,
„manifeste auctoritatem Conciliorum &
„declarationem Fidei super hoc factam de-
„struunt; non plus tribuentes auctoritatis
„ipsi congregationi Ecclesiæ, quam uni com-
„munitati seculari. Clare quoque negant
„Concilium habere immediate auctoritatem
„à Christo, cum ipsum sic comparant com-
„munitati seculari, quæ non habet aucto-
„ritatem à Christo corrigendi aut puniendi
„Principem suum: sed bene inspiciant defi-
„nitiones Concilii Constantiensis, reperient
„in hoc magnam differentiam. Nam ipsum
„Concilium Constantiense reprobavit illum
„articulum XVII. inter articulos Joannis Hus
„contentum, *Quod Principes haberent puniri*
„*ad arbitrium populi*: & tamen alterum pro-
„bavit, *quod Concilium Generale habet imme-*
„*diate potestatem à Christo, &c.* Et hoc etiam
„apparet ex Sacris Scripturis, cum Chri-
„stus ipse assignans differentiam inter hoc
„& illud dicat, *Reges gentium dominantur*
„*eorum, vos autem non sic.* Et beatus Petrus
„in Canonica dicit de Pastoribus, *non ut*
„*dominantes in Clero, sed forma facti gregis.*

„Docto-

„ Doctores quoque lucide declarant, quo-
„ modo Papa non est Dominus rerum Eccle-
„ siæ, sed Minister. Valde quoque extraneum
„ est & à veritate alienum dicere, quod non
„ plus spiritualitatis reperiatur in congrega-
„ tione legitima Ecclesiæ, quam in una com-
„ munitate seculari, aut non specialior assi-
„ stentia Spiritus sancti, de quo Christus ad
„ ipsam dixit, *Mittam vobis Spiritum veritatis,*
„ *ut maneat vobiscum in æternum*, Joannis XIV.
„ Quoniam vero, etsi non teneamur proba-
„ re quod per Ecclesiam de recta Fide deter-
„ minatum est, tamen impugnationes qua affe-
„ runtur in adversum nobis incumbit dissolve-
„ re, idcirco ad ea quæ allegata sunt in contra-
„ rium per Dominos Oratores (qui adversus
„ Concilium proposuerunt tam Andegavi,
„ quam hic hesterno die coram vestra Regia
„ Majestate) respondere curabimus. Primo
„ enim satis apparet hanc non esse novam do-
„ ctrinam de auctoritate Conciliorum, sicut
„ heri proponens impingebat, cum eidem do-
„ ctrinæ tam multa tamque præclara Sancto-
„ rum & Doctorum testimonia suffragentur,
„ ut ex dictis apparet. Quod vero allegavit se
„ habere plura Sanctorum testimonia, ut Au-
„ gustini in sermone Apostolorum, Ambro-
„ sii in libro de Incarnatione verbi, Gregorii in
„ Epistola ad Mauricium, Cyrilli in libro Can-
„ ticorum, & alias multas, loquendo de aucto-
„ ritate & potestate data Petro & Sedi Aposto-

 „ licæ,

„licæ, dicendo etiam in hoc se habere viginti
„sententias Sanctorum: dicimus quod nul-
„latenus auctoritatem & potestatem Petri &
„Sedis Apostolicæ, his auctoritatibus desi-
„gnatam, nos negamus, imo affirmamus:
„sed hæc non tollunt auctoritatem & pote-
„statem universalis Ecclesiæ & Concilio-
„rum in qua etiam auctoritas ipsius Petri in-
„cluditur, & sicut dicit beatus Augustinus,
„*Ea quæ dicuntur de Petro etiam ad Ecclesiam*
„*referuntur in suo illustri & claro intellectu*, ut
„patet in actoritate ejusdem superius allegata
„de Psal. CVIII. Et quanto plura allegant de
„auctoritate Sedis Apostolicæ, tanto plus
„facit contra eos & pro nobis, cum in hac
„declaratione facta de auctoritate Concilio-
„rum, determinationem Sedis Apostolicæ,
„& Papæ, & Cardinalium consistorialiter
„pluries factam habeamus, sicut in prædictis
„ostensum est. Quod autem allegant Petrum
„esse Caput Ecclesiæ, hoc idem Basileense
„Concilium concessit etiam de Ecclesia con-
„gregata: Nam & in una responsione sua
„dicit: *Ipse erit Concilii Caput*, ipse quidem
„primus est in Concilio: & ultra dicimus,
„quod ipse habet interpretari Canones Con-
„ciliorum, in eis dispensare, & etiam eos mu-
„tare, si tempus & opportunitas id faciendi
„adveniant: hæc tamen debet facere ad in-
„tentionem Concilii, hoc statuens propter
„publicam salutem: Non enim est ei data po-
„testas

„ testas in destructionem sed in ædificatio-
„ nem, & sic nihil negamus de Privilegio Se-
„ dis Apostolicæ, & de ejus præeminentia: sed
„ quod ille qui est Papa pro tempore, si velit
„ uti proprio judicio in contrarium universalis
„ Concilii, & intentionis ejus: & quod si Con-
„ cilium statuat aliquid pro salute publica,
„ ipse universaliter eodem tempore statuat in
„ contrarium, ut si Concilium statuat electio-
„ nes fieri, sublatis reservationibus, & ipse Pa-
„ pa eodem tempore statuat in contrarium
„ omnes Ecclesias Cathedrales reservari & ta-
„ lia hujusmodi, sic rejiciendo voluntarie Ca-
„ nones sacros, hoc quidem ei facere non com-
„ petit. Unde & quod habeat supremam au-
„ ctoritatem in Ecclesia, non negamus; sed
„ quod habeat illam supra totam Ecclesiam,
„ ita ut habeat præferre judicium suum judi-
„ cio totius Ecclesiæ congregatæ, hoc non
„ creditur.

„ Quod vero dicit Proponens ex adverso,
„ quod est diffidentia reprobata, si quis dicat
„ Sedem Apostolicam errare posse: dicitur
„ quod adhuc est major diffidentia, si quis dicat
„ universalem Ecclesiam legitime congrega-
„ tam errare posse: Nec aliquis diffidit, quod
„ Papa in suis Sententiis errare possit, si non
„ velit agere contra ea quæ in Sententiis &
„ in Scriptis sanctorum Patrum & Concilio-
„ rum definita sunt. Sed nihilominus Papa
„ Urbanus dicit, ut allegatum est, *Quod ubi*

„*aperte Dominus & omnes Apostoli, & eos*
„*sequentes sancti Patres* (quod de Conciliis
„exponitur) *aliquid definierunt, ibi novam*
„*Legem dare non potest, & quod si destruere*
„*nititur ea quæ illi definierunt, non Sententiam*
„*dare sed errare convincitur.* Itaque ad hunc
„sensum plane concedimus quod errare non
„potest in Sententiis suis, & quod intelligi-
„tur tunc dare Sententiam cum non destruit
„ea quæ in Sententiis & in Scripturis sancto-
„rum Patrum & Conciliorum definita sunt:
„neque faciliter præsumitur quod illa de-
„struere vellet, nisi constaret de contrario,
„ut in Anastasio XI. de quo superius allega-
„tum est, qui quidem ut dicit Archidiaconus
„publice prædicabat illud non esse hæresim
„pro quo Achatius damnatus erat, nec ipsum
„esse hæreticum, cujus oppositum judica-
„tum erat per Synodum, ut patet in Can.
„*Achatius* XXIV. quæst. I. Allegavit deinde
„Proponens Can. *Nemo* IX. quæst. III. ubi
„dicitur: *Nemo judicabit primam Sedem*:
„sed ad hoc fuit responsum in responsione Sy-
„nodali quæ incipit *Cogitanti* jam ante se-
„ptem annos, quod hoc intelligitur, quod
„non judicatur Summus Pontifex ab aliquo
„Clero particulari: & in eadem responsione
„fuit etiam responsum ad Can. *Significasti*,
„dicens, quod Concilia à Romano Pontifice
„robur acceperunt, & ad talia quæ commu-
„niter allegantur Verum, quod Can. *Nemo*
„con-

„ conclusive non excludat auctoritatem Con-
„ cilii universalis respectu Summi Pontificis,
„ satis patet ex Glossa ejusdem Canonis quæ
„ dicit, quod si Papa peccat potest denunciari
„ juxta admonitionem Canonicam: & deinde
„ arguit ad utramque partem, si magis est
„ standum statuto Concilii vel Papæ: alle-
„ gant ex una parte Cap. *Significasti* Extr,
„ de elect. & Can. *Hæc est Fides* XXIV. quæst.
„ I. & ex adverso Can. *Legimus*, quod *Or-*
„ *bis major est Urbe*, & sic apparet, quod
„ Canon ille *Nemo* non firmat intentionem
„ proponentis. Ex adverso allegatur etiam de
„ Symmacho Papa, quod causa ejus est judi-
„ cio Dei reservata: sed clarum est quod lo-
„ quitur in illo casu in quo peccatum est oc-
„ cultum, etiam quando Papa se reddit cor-
„ rigibilem, sicut Symmachus ipse se corri-
„ gibilem reddiderat, qui vocatus, ad Sy-
„ nodum veniebat, ut diceret suam causam, sed
„ ab æmulis impeditus est, & præterea de cri-
„ mine quod sibi imponebatur non habebatur
„ legitima probatio, sicut apparet in libro Con-
„ ciliorum: Ideo dixerunt qui ibidem congre-
„ gati erant, se dimittere causam suam Judicio
„ Dei determinandam: & similiter de Marcel-
„ lino dicendum est, qui se corrigibilem reddi-
„ dit, idcirco Synodus, sibi exhibens reveren-
„ tiam, voluit quod seipsum judicaret: sic Sum-
„ mi Pontifices cum magna humilitate corri-
„ gibiles se reddebant, quibus exemplum fuit

 „pri-

,, primus Apostolorum beatus Petrus, qui
,, se cum defecerat vere pœnitentem & maxi-
,, me corrigibilem reddebat, ut Successori-
,, bus suis exemplum daret. Deinde allegat
,, dictum Leonis, dicentis de solo peccato
,, quod in Fide committitur possumus ab Ec-
,, clesia judicari, & communiter etiam alle-
,, gatur Canon *Si Papa* XL. dist. *Quod Papam*
,, *nullus præsumit mortalium judicare nisi fuerit*
,, *à Fide devius*: sed hoc præclare solvit Glossa
,, non destruendo Textum, ut Dominus
,, proponens ex adverso dicit, imo recte
,, ipsum exponendo, ubi dicit, *Quod si notorie*
,, *& incorrigibiliter peccet scandalizando Ec-*
,, *clesiam potest judicari, & quod contumacia*
,, *dicitur hæresis*: Sicque loquitur de peccato
,, in Fide, seu de hæresi large; & allegat
,, duos Canones quomodo ista contumacia
,, & contemptus Ecclesiæ dicitur hæresis, vi-
,, delicet Can. *Nullus* XXXVIII. dist. quod
,, est Clementis Papæ, & Can. *Si qui Pres-*
,, *byteri* LXXXI. dist. quod est beati Gre-
,, gorii. Illi autem qui dicunt, quod Papa in
,, solo casu hæresis stricte sumptæ potest ju-
,, dicari, adducunt illud verbum *stricte* de
,, novo, & novam in hoc doctrinam faciunt,
,, quia hoc in doctrinis antiquorum non repe-
,, ritur: Quia vero in respondendo ad Ca-
,, nonem *Significasti*, solet dici sicut dictum
,, fuit in responsione *Cogitanti*, quod Concilia
,, à Romano Pontifice robur acceperunt;
,, quod

„ quod intelligitur quantum ad hoc quod est
„ congregare Concilium, quod regulariter
„ ad Papam pertinet; sed ubi congregatum
„ est, habet immediate auctoritatem à Chri-
„ sto. Dicebat proponens ex adverso, quod
„ tunc Papa est tanquam Bedellus: respon-
„ detur quod longe differt, nam Papa aucto-
„ ritate quemlibet compellit ut veniat ad Sy-
„ nodum sub censuris & pœnis, quod mul-
„ tum differet ab officio Bedelli, qui non est
„ nisi Nuncius ad convocandum. Quod au-
„ tem iterum objectum est, quod stat illos
„ qui sunt in Concilio non esse in gratia: ap-
„ paret quod hoc est Principium ad destruen-
„ dum omnem jurisdictionem Ecclesiasticam,
„ si oportet habere certitudinem de qualibet
„ persona ipsam exercente quod esset in gra-
„ tia: At præsumendum est confidenter quod
„ in congregatione Concilii generalis semper
„ sunt plures boni, & si personæ in particu-
„ laribus deficiant, tamen nullatenus æsti-
„ mandum est, quod in ferendis Constitu-
„ tionibus universalibus, saltem universum
„ concernentibus, Synodus universalis erret
„ contra fidem & bonos mores. Nec ullate-
„ nus recipiendum est ad hoc propositum,
„ illud dictum, quod nescitur in quibus est
„ gratia Dei, forsan in laboratoribus seu cul-
„ toribus agrorum, quia ita reducuntur in
„ dubium determinationes seu ordinationes
„ Concilii generalis, quasi laboratores id age-
„ rent,

„rent, ſicut videbatur innui per proponen-
„tem ex adverſo, ſecundum ea quæ nobis
„relata ſunt. Sic igitur patet aliis dimiſſis,
„quibus non eſt neceſſarium reſpondere per
„ſingula, quod ex iis & ſimilibus, nullate-
„nus poteſt auctoritas Conciliorum & De-
„claratio fidei ſuper hoc facta enervari.
„Quamquam nullatenus dicta eorum ſuſti-
„neri poſſunt, qui dicunt non eſſe auctori-
„tatem coërcitivam in Concilio generali ſeu
„univerſali reſpectu ſummi Pontificis, præ-
„terquam in caſu hæreſis ſtricte ſumptæ: ſed
„ſolum hoc reſtare, ut oretur pro eo, quod
„& minima perſona facere poſſet, quodque
„talis doctrina adverſus doctrinam Eccleſiæ
„nullatenus tolerari aut ſuſtineri poteſt.

„Apparet conſequenter ex iis, quod pe-
„titio Oratorum prædictorum porrecta ve-
„ſtræ Majeſtati Andegavi, nullatenus in
„medium afferenda fuit, qua quærebant ut
„veſtra Regia Majeſtas repelleret traditio-
„nes Baſileenſes, quas Propoſitiones, ut ſi-
„bi placebat, appellabat hæreticas, dicebat-
„que veſtræ Majeſtati ut fugaret errores iſtos
„ab aula Regia: non enim eſt dubium quod
„veſtra Chriſtiana Majeſtas traditiones ſacri
„Baſileenſis Concilii, de auctoritate Conci-
„liorum, Catholicas reputavit cum univer-
„ſali Eccleſia, quibus etiam & Papa ipſe ad-
„hæſit, & omnes Principes Catholici com-
„muniter in eamdem ſententiam convene-

„runt.

„runt. Unde valde extraneum est, quod „nunc Majestas vestra Regia requiratur ut „easdem traditiones reputet erroneas aut hæ„reticas: nec ullatenus præsumere debent „quod Christiana vestra Majestas à fide quam „semper tenuit discedat, aut talem petitio„nem exaudiat: quinimo credendum & sine „hæsitatione tenendum, quod fidem suam „absque variatione tenebit, ut præmium il„lius vitæ assequatur, de qua in principio di„ctum est: *Vitam expectamus quam Deus datu„rus est illis qui fidem suam nunquam immutave„runt ab eo.*

„Quantum ad secundum quod dicturi su„mus & longe brevius, notum est toti orbi „quomodo sacra Basileensis Synodus congre„gata fuit specialiter pro reformatione Ec„clesiæ in capite & in membris, consentien„tibus in hoc ipsum & summo Pontifice, & „Principibus Orbis, ac universa Christiani„tate: pro qua quidem reformatione ad ho„norem Dei & salutem animarum plures „Constitutiones editæ fuerunt & Decreta so„lennia. Verum magnus dolor in Ecclesiam „irruit, cum ille qui primus sacros Canones „exequi debebat, & cæteris viam salutis osten„dere, omnia hæc constituta & Decreta „(quantum ipsum concernebant) rejicie„bat, ita ut nullum unquam Decretum Con„cilii, concernens reformationem, in effi„cacem executionem ponere compertus

„sit

„ſit: quinimo condemnationes cenſurarum
„& pœnarum in eos proferre conabatur qui
„ea Decreta obſervabant; ſicut in pluribus
„apparuit, qui Electiones ſuſtinere vole-
„bant reſervationibus ejus reſiſtendo. Inſu-
„per flebiliſſimam diviſionem & grave ſchi-
„ſma commovit, erigendo aliam congrega-
„tionem ſub nomine alterius Concilii gene-
„ralis adverſus Baſileenſe Concilium. Præ-
„terea, proſternere voluit & reprobare au-
„ctoritatem Conciliorum generalium ac de-
„clarationes fidei Orthodoxæ ſuper hoc fa-
„ctas, tam in Concilio Conſtantienſi quam
„in Baſileenſi, quibus etiam ipſemet adhæ-
„ſerat, & quodammodo intolerabilem uni-
„verſæ Eccleſiæ (quæ has Declarationes
„tenuerat) errorem imponere: Sicque poſt
„reformationem abjectam, etiam fidem
„ſanctæ Matris Eccleſiæ lædebat & concul-
„cabat, atque irreparabili ſubjiciebat detri-
„mento: Cum tamen à Dei unitate, prima
„unitas Eccleſiæ ſumatur, ſine qua nec una,
„nec ſancta, nec Catholica ipſa Eccleſia dici
„poſſet. Quæ dum nullatenus tolerari po-
„terant, dolor plurimus & magna compaſ-
„ſio erat, quod oporteret ad Depoſitionem
„illius Domini procedere, & parte ex altera
„neceſſitas urgebat ut fidei ſuccurretur &
„ſtatui Eccleſiæ. Tandem quoque poſt lon-
„gam expectationem, poſt varias convoca-
„tiones & alias commonitiones, ubi nulla
„emen-

„emendationis , aut corrigibilitatis ſpes af-
„ferebatur, Juſtitiam miniſtrare oportuit,
„lataque eſt juſta ſententia, quæ in notoriis
„& in propriis litteris ipſius fundata eſt. Quod
„ſi per ſingula puncta diſcurrere velimus, ſa-
„tis notorium eſt, ſi ille qui determinatio-
„nes fidei per Eccleſiam factas pertinaciter
„impugnat hæreticus cenſendus ſit, & ſi Do-
„minus ipſe ita fuerit; ſatis etiam notum eſt
„ſi ille qui aliam congregationem ſub nomi-
„ne alterius generalis Concilii adverſus legi-
„timum generale Concilium actu ſedens eri-
„git, ſchiſma committat: Si etiam ille qui
„à fide Eccleſiæ diſcedit ſchiſma incurrat:
„Si præterea in regimine Curiæ ſuæ Simo-
„niam committat ſatis notum eſt: Si inſuper
„juramenta per eum præſtita in conclavi,
„& poſt conclave ſervaverit, de non moven-
„do guerram ſine conſenſu Cardinalium:
„de non alienando terras Eccleſiæ, & alias
„partes Italiæ, ſatis noverunt. Manifeſtum
„quoque eſt quomodo in principio ſui Pon-
„tificatus terras Eccleſiæ & Patrimonium in
„magna pace & tranquillitate invenerit, &
„in quam diſpoſitionem ſub regimine ſuo re-
„ductæ ſint: Si præterea voluntarie viola-
„verit & contempſerit ſacros Canones: Si
„ſcandalizaverit Eccleſias: & generaliter de
„omnibus punctis contentis in ſententia diſ-
„currendo articulatim conſpici poteſt ſi veri-
„tate & notorietate fulta ſint. Nos quoque
„pa-

„ parati ſumus unicuique, quotiens opus erit, „ ſingula declarare, ita ut nulli cuiquam dubium eſſe debeat quin hæc ſententia juſtiſſime lata ſit pro neceſſaria conſervatione „ fidei & Eccleſiæ.

„ Et quoniam aliqua objiciuntur in adverſum, ad ea etiam eſt reſpondendum: Dicunt aliqui quod Ambaſſiatores Principum „ non conſenſerunt, quodque in adverſum „ proteſtati ſunt: ſed nunquam reperietur „ quod unquam ab Ambaſſiatoribus Principum auditum ſit hanc ſententiam eſſe injuſtam: Verum eſt quod pro dilationibus „ ſupplicaverunt, & datæ ſunt dilationes „ contemplatione Principum quantum fieri „ potuit: & in tantum expectatum eſt donec mors imminere videbatur, & ipſius „ Concilii totalis deſolatio, miſſumque eſt „ ad plures Diætas, pendentibus his dilationibus ſemper intendendo proſequutioni „ pacis, ſi quæ media in hoc opportuna ferrentur. Cumque Concilium procedere „ potuiſſet ad depoſitionem, poſtquam ipſe „ Dominus qui depoſitus eſt ſuſpenſionem „ ab adminiſtratione Papali ſuſtinuerat per „ duos menſes animo indurato † (juxta ea „ quæ olim Decreta erant, etiam ante adhæſionem ipſius olim Papæ, & in qua omnes „ Ambaſſiatores conſenſerant) expectavit nihilo-

† *Hæc quæ ſunt incluſa parentheſi, intelligi debent de prima diſſolutione Concilii fruſtra ab Eugenio tentata.*

,, hilominus Concilium post ipsam suspensio-
,, nem per menses XVII. Sicque ex hac alle-
,, gatione de Ambassiatoribus Principum ni-
,, hil argui potest quominus sententia justa sit,
,, aut sufficienti auctoritate data immediate à
,, Christo ipsi Concilio generali, aut quomi-
,, nus sit obediendum eidem.

,, Objiciunt consequenter de facto Græco-
,, rum, sed qualiter hæc res processerit pa-
,, rumper advertamus. Laboravit Concilium
,, pro viribus etiam auctoritatem Concilio-
,, rum & declarationem fidei super hoc fa-
,, ctam servari illibatam: atque etiam refor-
,, mationem Ecclesiæ, pro qua etiam tanto
,, tempore laboratum erat non deperire. Nam
,, prosternere ipsam auctoritatem Concilio-
,, rum, fidem lædere, abjicere reformatio-
,, nem, & statum Ecclesiæ Latinæ ac Catho-
,, licæ confundere, sub spe incertà reductio-
,, nis Græcorum, non provide actum esset:
,, Idcirco sacrum Concilium, ut illud pro
,, posse ageret, & ista non dimitteret, voluit
,, sibi retinere libertatem eligendi unum lo-
,, cum ex pluribus in quo de unione Græco-
,, rum ageretur: in hoc ipsum Græci consense-
,, runt, & hoc idem ipse qui pro tunc Papa erat
,, expresse approbavit. Fecit Concilium quod
,, potuit in disponendo pecunias, & alia ne-
,, cessaria, locumque convenientem elegit,
,, ipse vero olim Papa in contrarium Concilii
,, laboravit, & alias galeas, aliosque Nun-

„cios Constantinopolim misit, & eos sic in
„Ferrariam attraxit, magnam divisionem &
„grave schisma in Ecclesiam Catholicam ex-
„citans: & licet à Principio Argumentum
„assumere videretur ex una nominatione loci
„quam sui Præsidentes fecerant, fundantes se
„in quadam schedula quam conventionalem
„dicebant, in qua expresse ipsimet discorda-
„runt: quæ nominatio ex multiplici capite
„nulla fuit, & etiam Decretum illi contra-
„rium fuit, per principalem Legatum Apo-
„stolicum, & alios communi consensu
„omnium deputatorum vera Bulla Concilii
„sigillatum, ac in Avinionem cum Ambassia-
„toribus transmissum: tamen nec id quod fa-
„ctum erat per Concilium, nec per Præsi-
„dentes prædictos observans ipse qui tunc
„Papa fuit [*Nota*] plusquam per IV. men-
„ses ante adventum Græcorum Concilium
„quantum in se fuit dissolvit. Et deinde ere-
„xit congregationem sub nomine Concilii
„generalis in Ferraria ante adventum Græ-
„corum, prætextu dissolutionis per eum at-
„tentatæ, tenuitque ibidem longo tempore
„Græcos, & tandem post depositionem ejus
„auditum est quod eos se reduxisse dicebat.
„Vellet autem sacrum Concilium quod
„ipsi Græci omne bonum facerent, & non
„multam mentionem voluit facere de ista
„materia, quærens primum videre quid
„de hac re in veritate esset, & quid
„apud

„apud Conſtantinopolin & in illis parti-
„bus exiſtentes agere vellent, quoniam
„nunquam aliquam litteram ſigillo Impera-
„toris aut Patriarchæ communitam Conci-
„lium percepit. Intelleximus tamen cum do-
„lore, quod per alterum ſuorum Oratorum
„in hac civitate dictum eſt, Græcos ipſos in
„omnibus non eſſe reductos: Eſt tamen hæc
„doctorum ſententia, quod qui unum arti-
„culum fidei non credit nullum credit: Nam
„dum accipit de fide quæ vult, & quæ non
„vult non recipit, jam non aſſentit illis pro-
„pter doctrinam Eccleſiæ, ſed propter ſen-
„tentiam proprii capitis, non eſt credere per
„fidem. Sed quicquid de his rebus ſit, nulla-
„tenus colorari poteſt quod ſub umbra facti
„Græcorum, debeat tolerari, ut quis poſſit
„damnare auctoritatem Conciliorum gene-
„ralium, determinationem fidei Catholicæ
„reprobare, & Eccleſiæ noſtræ Catholicæ
„(*quæ ſemper una eſt & ſancta*) errorem im-
„ponere, ac ſic ejus auctoritatem miſerabili-
„ter conculcare.

„Objiciunt deinde de numero exiſtentium
„in Concilio, ſed ſi recte advertunt, dum
„ſententia depoſitionis lata fuit, erant in
„eodem quaſi trecenta ſuppoſita, erant XXXIX.
„Prælati in Seſſione perſonaliter, & plures
„alii per Procuratores: Nec reperiunt aliquam
„Eccleſiæ regulam quod tantus numerus re-
„quiratur actualiter exiſtens in Concilio ge-

„ nerali: ſed ſufficit quod omnes ſufficienter
„ evocati ſint, ſicut & longo tempore fuerunt
„ expectati: habentque qui allegant deter-
„ minationem Eccleſiæ in contrarium, &
„ etiam Apoſtolicæ Sedis, Nam tempore quo
„ fuit attenta prima diſſolutio Concilii, erant
„ longe in minori numero, nec erant ibi octo
„ Epiſcopi, & tamen determinatum fuit per
„ illum qui tunc Papa erat, conſentientibus
„ Cardinalibus, quod tunc & à Principio
„ fuerat Concilium legitime convocatum,
„ omneſque Ambaſſiatores Principum &
„ alii de Eccleſia in hoc ipſum conſenſe-
„ runt.

„ Quod vero in ejus excuſationem propo-
„ ſitum eſt, quod licet aliqua in ejus domo
„ fiant, tamen ipſe ea non facit, ſicut mul-
„ ta fiunt in domibus earum quæ ipſi neſciunt:
„ quomodo poteſt in hoc excuſari, ut ea ſci-
„ antur in retroactis partibus quæ in regimi-
„ ne ſuo fiunt, & ipſe neſciat, & præſertim
„ illa ſuper quibus Synodaliter citatus eſt, &
„ longo tempore expectatus ad emendatio-
„ nem, & nihil correctionis aut meliorationis
„ adhibuit? Sed & nunquid Heli divina
„ ſententia ſummo ſacerdotio privatus eſt,
„ dum filios ſuos peccantes, & exactiones fa-
„ cientes ab offerentibus ſacrificia corripere
„ neglexit? Illud vero nec tranſeundum eſt
„ quod dicit Proponens, ipſum depoſitum
„ eſſe puriorem quam aliquis qui unquam Ba-
„ ſileam

„ſileam intraverit: hoc enim pro honore Præ-
„latorum & Doctorum hujus Regni qui in
„Concilio fuerunt dicere poſſumus, quod
„multi invenirentur qui neque notati ſunt
„diſceſſiſſe à fide, nec ſchiſma feciſſe, nec
„alia ſuperius commemorata perpetraſſe, pro
„quibus ipſe Dominus depoſitus eſt. De gra-
„vibus injuriis quæ dicuntu adverſus ſuppo-
„ſita Concilii pertranſeo: Nam facile eſt
„male loqui volentibus mala verba dicere,
„probare autem quæ dicuntur & monſtrare
„non facile eſt. Quod vero judicant occulta
„cordium, dicendo illos de Concilio mala in-
„tentione proceſſiſſe, & cætera hujuſmodi,
„ſatis unuſque percipere poteſt talia judicia
„de intentionibus hominum (quæ ſine juris
„ordine fiunt) nequaquam eſſe ſuſcipienda:
„De quibus dictum eſt à Domino, *nolite ju-*
„*dicare & non judicabimini*: ſed ea quæ ſunt
„per Eccleſiam judicata bene dicere poſſu-
„mus: & ſæpe contingit reos, dum recte
„judicati ſunt, dicere quod mala intentione
„contra eos proceſſum eſt.

„Sic igitur apparet nullius eſſe momenti
„quidquid contra ipſam ſententiam depoſi-
„tionis objicitur: unde manifeſtum eſt quod
„nullatenus ſperare debuerunt Orarores ex
„adverſo petitionem eorum exaudiri per Re-
„giam Majeſtatem, qua petebant ut eadem
„Majeſtas ipſi Domino depoſito ſemper obe-
„diret, & eum complecteretur, ut verum

„Pontificem. Quomodo etiam fieri posset
„ut ei qui pertinaciter fidem impugnat, quam
„Rex ipse & ejus regnum semper cum Ec-
„clesia tenuit, Rex favere aut adhærere
„vellet, aut ei obedire, qui in triplex schi-
„sma incidit? Primo scilicet, discedendo à
„communi & Caholica fide: Secundo, eri-
„gendo congregationem sub nomine Con-
„cilii generalis adversus verum & legitimum
„Concilium: Tertio, nunc facit schisma
„in præsidentia Papatus, dum post latam sen-
„tentiam justæ depositionis, vult sibi injuste
„usurpare Papatum, dum post hujusmodi
„latam sententiam neque titulum neque co-
„lorem habet: unde ipsius obedientiam re-
„linquere nullum est periculum: sed spe-
„randum est quod ut Regia Majestas conser-
„vet fidem suam illibatam, nullatenus illi
„adhærebit aut favebit, qui fidem ipsam im-
„pugnat, potiusque volet per conservationem
„invariabilem ejusdem fidei; vitam illam
„beatam promereri de qua ab exordio di-
„ctum est: *Vitam expectamus quam Deus*
„*daturus est illis qui fidem suam nunquam mu-*
„*taverunt ab eo.*

„Jam postremo ad tertium quod exponen-
„dum venit, veniamus: ante septem annos
„Decretum erat, ut si contingeret Sedem
„Apostolicam vocare, durante sacro Basi-
„leensi Concilio, fieret electio novi Pastoris
„in loco ipsius Concilii: ac etiam ordinatum
„fuit

„ fuit ut per LX. dies fieret expectatio. Expe-
„ ctavit alias sacra Basileensis Synodus non
„ solum per LX. dies, sed per centum & xx.
„ qui duplum faciunt priusquam alterius ele-
„ ctio fieret: Et sicuti in sacro Constantiensi
„ Concilio ordinatum fuit, ut de singulis na-
„ tionibus aliqui eligerentur, qui cum Re-
„ verendissimis Dominis Cardinalibus intra-
„ rent conclave ad electionem celebrandam:
„ Sic etiam in ipso sacro Basileensi Concilio or-
„ dinatum est, ut cum ipsis Reverendissimis
„ Dominis Cardinalibus, qui interesse vel-
„ lent, aliqui de singulis nationibus eligeren-
„ tur, & electi sunt de qualibet natione octo.
„ Et ut repellatur objectio quorundam dicen-
„ tium hanc electionem factam esse per illos
„ de Sabaudia, salva pace omnium, veritas
„ est quod primo fuerunt tres deputati ad no-
„ minandum ipsos electores, quorum nullus
„ de Sabaudia erat: Deinde ex omnibus na-
„ tionibus ab Alpinis, nullus de Sabaudia as-
„ sumptus fuit, nisi duo nobiles Prælati, unus
„ Archiepiscopus, alius Episcopus qui repel-
„ li convenienter non poterant: De natione
„ autem Italiæ verum est quod Dominus ille
„ qui à Papatu depositus est, variis modis
„ practicaverat abstrahere Dominos de illa
„ natione à Concilio, & tantum effecit ut
„ pauci pro tunc illius nationis in Concilio
„ adessent, nisi de partibus Pedemontium, ex
„ quibus multi insignes erant, & assumpti

,, ſunt ex eis octo nobiles Domini, quorum
,, quatuor erant Epiſcopi promoti & approbati per Dominum à Papatu depoſitum, alii
,, duo Abbates venerabiles & magnæ ætatis,
,, alii duo notabiles Religioſi & Doctores,
,, computatiſque omnibus ex numero XXXII.
,, ad hujuſmodi electionem ſic deputatorum,
,, tantum fuerunt decem ex Dominiis ſubditis
,, Sabaudiæ, tam ultra montes quam citra
,, montes, qui non poterant electionem alicujus pro voto ſuo facere, nec alicujus
,, electionem impedire, ſi alii qui duas partes
,, totius numeri faciebant alterum vellent eligere. Poſtquam vero omnes conclave ingreſſi ſunt, ibi per multos dies in diverſis
,, ſententiis diſcuſſerunt quis pro hac vice poſſet ad Papatum aſſumi, attenta neceſſitate
,, & circumſtantiis rerum, & diſcurrentes
,, per ſingulos in orbe qui eorum mentibus
,, occurrere poterant, tandem nullus hoc
,, tempore utilior aſſumi poſſe ſibi viſus eſt,
,, quam ipſe qui nunc eſt ſanctiſſimus Dominus noſter Felix Papa V. providentia, benignitate, manſuetudine ſingulari, & virtutibus plurimis decoratus, qui à juventute in litteris & latinitate eruditus fuit, & in
,, jure civili inſtructus, pluſque habet de juriſprudentia quam plures prædeceſſorum
,, ſuorum: hic laudabiliter rexit domum ſuam,
,, & omnia ſibi commiſſa a Domino, dumque domum ſuam bene regere ſcivit, ſpe-

,, ran-

„ randum eſt quod auxiliante Domino & ſuf-
„ fragantibus aliis ejus virtutibus, ſciet re-
„ gere Eccleſiam Dei: hoc enim attenden-
„ dum eſt ſingulariter in eo qui ad Epiſco-
„ patum aſſumitur, dicente Apoſtolo, *qui
„ domum ſuam regere neſcit, quomodo reget
„ Eccleſiam Dei?* ipſe quoque poſt ſtatum
„ matrimonii honorabiliter obſervatum, vi-
„ tam religioſam per plures annos deduxit in
„ obſervatione continentiæ, in habitu ſimpli-
„ ci, quo tempore in divinis ſcripturis & offi-
„ ciis Eccleſiaſticis plurimum Exercitium
„ habuit. Neceſſitas inſuper Eccleſiæ ur-
„ gebat, ut de homine cui potentiam con-
„ tulerat provideretur in hoc tempore Ec-
„ cleſiæ Dei in magnis anxietatibus & dolo-
„ ribus conſtitutæ, experientiaque jam ma-
„ gis docet quantum hoc neceſſarium foret,
„ reque ipſa oſtendit quantæ adverſitates,
„ quantæ calamitates illatæ fuiſſent uni de
„ parvo ſtatu, ſi ad hunc ſtatum fuiſſet aſſum-
„ ptus, attentis illis quæ adverſus hunc Do-
„ minum afferuntur. Unde ſi alius electus
„ fuiſſet non potens hanc tribulationum ma-
„ gnitudinem ſuſtinere, veriſimiliter factum
„ fidei & Eccleſiæ in magnam ruinam abi-
„ re permiſiſſet. Poſtquam autem Dominus
„ ipſe, ſicut præmittitur, electus fuit, ite-
„ rum per totum Concilium unanimiter
„ nemine diſcrepante fuit ejus electio ra-
„ tificata, & ex abundanti confirmata: Primo

,, habita deliberatione in singulis Deputatio-
,, nibus : deinde facta conclusione in Con-
,, gregatione generali, & communi decer-
,, tatione solenni in Sessione publica, sicque
,, non potest dici quod tantum per hos aut il-
,, los fuerit electus, sed per totum Concilium.

,, Quod vero quidam objiciunt adversus
,, eum, quod fuit in statu matrimoniali, mani-
,, festum est scientibus historias, & res visas
,, ac etiam juris peritiam habentibus, hanc
,, objectionem esse nullius momenti. Nam
,, plures præteritis temporibus ad Papatum
,, assumpti fuere qui in eodem statu matrimo-
,, niali antea fuerant, & ad huc non ex longo
,, tempore Clemens IV. in illo fuerat : die-
,, busque nostris vidimus Dominum Archi-
,, diaconum Reverendissimum Cardinalem
,, Novariensem qui in eodem statu fuerat, de
,, quo nullus dubitabat quin posset ad Papa-
,, tum assumi : Et glossa super Can. *Si quis*
,, LXXIX. dist. expresse quæstionem facit de
,, illo qui assumeretur ad Papatum cujus uxor
,, mortua crederetur, satis ostendens quod
,, ille qui uxorem habuit potest ad Papatum
,, assumi. Sed & ferunt historiæ quomodo post
,, depositionem Joannis XII. Leo adhuc lai-
,, cus ad Papatum assumptus est. Et licet de
,, facto Romani reposuerint ipsum Joannem
,, interim quod Leo in Germaniam vene-
,, rat, ipso tamen Joanne post miserabili-
,, ter mortuo, & quodam Benedicto in locum
,, ejus

„ ejus per eosdem Romanos substituto, præ-
„ fatus Leo iterum Romam rediit, & ipsum
„ Benedictum non solum à detentione Papa-
„ tus removit, sed etiam à sacerdotio degra-
„ davit, sicque finaliter obtinuit ipse Leo
„ qui adhuc laicus fuerat electus per depositi-
„ onem Joannis, & vocatus est Leo VIII.
„ prout in Speculo historiali Vincentius reci-
„ tat. Nihil quidem est quod hinc electioni
„ objici possit, quominus Canonica existat: &
„ quominus omnes ei obedire teneantur. Ac-
„ ceptavit autem Dominus ipse onus hoc, non
„ quod propterea ipsum in rebus temporali-
„ bus magis abundare sperandum sit, cum
„ plus uno anno exponat, quam fortassis in
„ decem recepturis sit: abundabatque in bo-
„ nis, & magna quiete potiebatur, sed propter
„ necessitatem fidei & Ecclesiæ, se tantis la-
„ boribus exponere voluit, ut non periret
„ auctoritas sanctorum Conciliorum & illa
„ fides, quam communiter omnes Principes
„ Catholici & ipse cum eis dum in minoribus
„ erat tenuerunt & sustinuerunt: fecitque
„ humiliter & devote professionem de tenen-
„ do Declarationes fidei factas in octo primis
„ Conciliis, ac etiam Lateranensi, Lugdunen-
„ si, Viennensi, & Basileensi. Pollicitus insu-
„ per prosequi extirpationes hæreseum, paci-
„ ficationem Christianorum Principum, & re-
„ formationem Ecclesiæ in capite & in mem-
„ bris, singulariterque observationes De-
„ creto-

„ cretorum sacri Concilii Basileensis, ac etiam
„ juravit manu tenere confirmationes electio-
„ num & celebrationes Conciliorum genera-
„ lium: sicque per obedientiam ei præstandam
„ fides in terra servabitur, & auctoritas Con-
„ ciliorum illæsa manebit, reformatio ple-
„ nam executionem accipiet, Concilia gene-
„ ralia deinceps celebrabuntur, omniaque fa-
„ vente Domino in Ecclesia melius agentur.
„ Nec quis timere debet quod ei obediendo
„ schisma incurrat, qui unicus pastor sum-
„ mus existit: nam alius qui primo erat post
„ legitimam depositionis sententiam contra
„ eum latam, neque jus neque titulum aut
„ colorem ullum habet, ut prædictum est:
„ unde de recedendo ab eo & isti adhærendo
„ nulla debet esse dubitatio: sed & reddendo
„ ipsi sanctissimo Domino nostro Fœlici obe-
„ dientiam, unio & pax in Ecclesia Dei vera
„ procuratur: Nam erit unio summi Ponti-
„ ficis cum sacro Concilio, & singularium
„ membrorum cum summo Pontifice: mem-
„ bra erunt juncta cum capite, caput cum
„ corpore in eadem fide, in eadem regula. Si
„ autem obediretur illi qui depositus est, qui se
„ separavit à sacro Concilio, à communi fide
„ totius Ecclesiæ Catholicæ (cui membra sin-
„ gula contrariantur, tenendo fidem declara-
„ tam de auctoritate sacrorum Conciliorum
„ quam ille abnegat, volendo tenere Decre-
„ ta salubria facta pro reformatione Ecclesiæ
„ in

„ in capite & in membris) esset illius qui pro
„ capite haberetur disjunctio à corpore & sin-
„ gulis membris: unde magna confusio & ve-
„ luti quædam gravis dyscrasia in ipso corpo-
„ re Ecclesiæ sequeretur. Ubi autem recta
„ via unionis per obedientiam Domino nostro
„ Fœlici præstandam practicabitur, si qui
„ pauci schisma & divisiones tenere vellent,
„ atque huic unioni adversari, possent facile
„ Deo auxiliante cum auxilio Catholicorum
„ Principum ad unitatem induci, maxime
„ attenta benignitate Domini nostri sanctissi-
„ mi Papæ Fœlicis, qui omnibus facere bo-
„ num, & nulli malum desiderat, qui omnes
„ in omni suavitate & mansuetudine vult am-
„ plecti; nihil in iis rebus tantum desiderans
„ sicuti publicam Ecclesiæ salutem. Sic nequa-
„ quam sperare debent qui adversus sanctam
„ Synodum proposuerunt, quod eorum exau-
„ diatur petitio, dum quærunt à vestra regia
„ Majestate, ut ipsa sanctissimo Domino no-
„ stro Fœlici non obediat, quem illi Idolum
„ appellare voluerunt, cum ipse verus & unus
„ summus Pontifex Canonice electus existat.
„ Potius quidem credendum est Regem Chri-
„ stianissimum daturum esse obedientiam, au-
„ xilium, & favorem ei qui propter defensio-
„ nem Catholicæ fidei, & conservationem
„ status Ecclesiæ in hanc dignitatem promo-
„ tus est, atque singulari ratione ex Chri-
„ stianissima domo vestra Franciæ assumptus,
„ in

„ in qua fides ipsa Catholica vigere & reflore-
„ re consuevit, ut eadem fides sine variatione
„ illibata conservetur, & per ipsius conserva-
„ tionem vestra Christianissima Majestas, &
„ omnes sui, vitam æternam & gloriam per-
„ severantibus usque in finem repromissam
„ consequi mereantur, quam eis præstare di-
„ gnetur Deus benedictus in secula seculo-
„ rum. Amen.

VIII. Cæterum ubi Rex Christianissimus sua responsione Oratores Eugenii & Basileensis Concilii absolvit: die II. Septembris M CCCC XL. scivit edictum, quo omnes Censuras, suspensiones & abdicationes dignitatum, officiorum, beneficiorum Ecclesiasticorum tum Eugenii contra Patres Basileenses, tum Basileensium adversus Eugenium editas atque promulgatas in toto suo regno & Delphinatu, exequutioni mandari prohibeat. Quod edictum lectum & publicatum est in Parlamento die XXXIX. Decembris M CCCC XL. atque eodem die propositum in Congretatione generali Universitatis Parisiensis solemniter celebrata apud Bernarditas: quam Regis edictionem Lector Historiæ studiosus repetet ex tomis Sanctionum Regiarum. Porro hic fuit Basileensis Concilii exitus, ut tum demum hortatu atque interventu Regis Franciæ, Angliæ, Siciliæ, & aliorum Principum Christianorum, Fœlix V. cesserit Papatu pro bono pacis rei-

reipublicæ Christianæ, ea lege ut primus ac Decanus Cardinalium, legatusque perpetuus S. Sedis Apostolicæ in tota Germania haberetur: qua de re legenda Nicolai V. Bulla ad calcem Actorum Synodi Basileensis. Nicolaus autem Eugenio successit in Cathedra Sancti Petri.

CAPUT VII.

I. *Qui Synodum Basileensem oppugnant, una etiam Pragmaticam Sanctionem toto conatu labefactant. Quidnam illa sit & utrum politici Principes possint leges sciscere pro Juris divini, naturalis & Canonici exequutione.*

II. *De Sancti Ludovici Pragmatica.*

III. *Caroli VII. Pragmatica ad verbum ex Constantiensis & Basileensis Synodi Canonibus excerpta est: atque Juri divino, naturali & Canonico usquequaque congruit.*

IV. *Argumenta Cajetani, Bellarmini, & aliorum contra Synodum Basileensem dogmatice expenduntur & depelluntur.*

QUoniam in Pragmaticæ Sanctionis memoriam incidimus, estque compertum illos qui Basileensi & Constantiensi Concilio, unde verbum de verbo ducta est Pragmatica, infensi sunt, uno atque eodem conatu Decreta Pragmaticæ Sanctionis oppugnare: certe ratio postulat ut demonstremus quibus nam firmamentis hæc Pragmatica nitatur vel labefacteur. Principio notandum, juris consultos illa Regum atque Principum edicta nomine Pragmaticæ Sanctionis donare, *in quibus Princeps consilio & tractatu adhibito prudentum ac peritorum articulatim respondet ad preces, relationem, aut suggestionem*

nem

nem Judicum aut aliarum personarum: Codice de diversis rescriptis Lib. 1. *Titul.* XXIII. Secundo observandum unicuique homini, cum ad Civilem tum ad Ecclesiasticam communionem nato, curam proximi sui demandari à Deo cap. XVII. Ecclesiastici, Atque Ecclesiasticos Jus habere directionis & correctionis spiritualis in Principes Christianos: & vicissim hos gladium portare ut omnes cives cogant in ordinem ad Legis Divinæ, Naturalis, & Canonicæ observationem. Quamobrem alias docuimus Constantinum Magnum vocari *Communem Episcopum exteriorum negotiorum* ab Eusebio Pamphilo lib. I. Cap. XXXVII. & IV. cap. XXIV. vitæ Constantini: ubi refertur optimum Principem *Synodos indixisse eisque præsedisse, atque permultas Leges pro Ecclesiastica disciplina rectius ordinanda scivisse.* At vero Constantini æmulatione uterque Theodosius, Martianus Imperator, Justinianus, Carolus Magnus, atque alii Principes Christiani Leges tulerunt pro Juris Divini, Naturalis & Canonici exequutione. Quos pariter S. Ludovicus Franciæ Rex imitatus est. Quandoquidem ut Jus Commune & disciplinam Apostolicam collapsam in Regno suo restitueret, quosdam Canones de Jure Sacrarum electionum ex antiquis Conciliis collegit, & in unum fasciculum conjici voluit, eumque Sanctionem Pragmaticam nuncupavit. Quæ B. Lu-

do-

dovici Pragmatica quoniam illi quam explicandam suscepimus non est absimilis, ideo eam hic verbum de verbo exscribam, ut Lector pro animi sui Sententia de utriusque discrimine censeat.

II. *S. Ludovici IX. Francorum Regis Christianissimi Pragmatica Sanctio.*

Ludovicus, Dei gratia, Francorum Rex ad perpetuam rei memoriam Pro salubri & tanquillo statu Ecclesiæ Regni nostri, necnon pro divini Cultus augmento, & Christi fidelium animarum salute, utque gratiam & auxilium omnipotentis Dei (cujus solius ditioni ac protectioni Regnum nostrum semper subjectum extitit, & nunc esse volumus) consequi maleamus: quæ sequuntur hoc Edicto consultissimo in perpetuum valituro statuimus, & ordinamus.

I.

Primo, ut Ecclesiarum Regni nostri Prælati, Patroni, & Beneficiorum Collatores ordinarii, Jus suum plenarie habeant, ut unicuique sua Jurisdictio servetur.

II.

Item, Ecclesiæ Cathedrales & aliæ Regni nostri liberas Electiones, Promotiones, Collationes, & earum effectum integraliter habeant.

III.

Item, Simoniæ crimen pestiferum Ecclesiam labefactans, à Regno nostro penitus eliminandum volumus & jubemus.

IV.

Item, Promotiones, Collationes, Provisiones, & dispositiones Prælaturarum, Dignitatum & aliorum quorumcumque Beneficiorum & Ecclesiasticorum Officiorum Regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem, & determinationem Juris Communis, Sacrorum Conciliorum Ecclesiæ Dei, atque Institutorum antiquorum sanctorum Patrum fieri volumus & ordinamus.

V.

Item, exactiones & onera gravissima pecuniarum per Curiam Romanam Ecclesiæ Regni nostri impositas vel imposita, quibus Regnum nostrum miserabiliter depauperatum extitit, sive etiam imponendas vel imponenda levari aut colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, pia & urgentissima causa, vel inevitabili necessitate: ac de spontaneo & expresso consensu nostro & ipsius Ecclesiæ Regni nostri.

VI.

Item, Libertates, Franchisias, Immunitates, Prærogativas, Jura & Privilegia per inclytæ recordationis Francorum Reges Prædecessores nostros, & successive per nos Ecclesiis, Monasteriis atque Locis piis, Religiosis, necnon Personis Ecclesiasticis Regni nostri concessas & concessa innovamus, laudamus, approbamus, & confirmamus per præsentes: & eorum tenore universis Justiciariis, Officiariis, & Subditis nostris ac loca tenentibus præsentibus & fu-

futuris, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit distincte præcipiendo mandamus, quatenus omnia & singula prædicta diligenter & attente servent, teneant, & custodiant, atque servari, teneri & custodiri inviolabiliter faciant: nec aliquid in contrarium quovis modo faciant vel attentent seu fieri vel attentari permittant. Transgressores aut Contrafacientes juxta casus exigentiam tali pœna plectendo, quod cæteris deinceps cedat in exemplum. In quorum omnium & singulorum testimonium, præsentes literas sigilli nostri appensione muniri fecimus, Datum Parisiis anno Domini M CC LXVIII. *mense Martio.*

Hactenus B. Ludovici Pragmatica quæ legitur in antiquioribus Editionibus Annalium Nicolai Gillii: Belleforestus qui ejusdem Gillii Annales edi curavit anno M CCCCC LXXIII. illam verbum de verbo Gallicam reddidit. At hoc exemplum quod exhibeo sumpsi in Codice vetustissimo manuscripto Bibliothecæ Collegii Regii Navarræ: estque operæpretium scire Margarinum Bignium Sodalem meum Sorbonicum, hanc B. Ludovici Pragmaticam conjecisse in suam Bibliothecam SS. Patrum, sed quintum articulum de Curiæ Romanæ exactionibus integrum expunxisse: quo hac Pragmatica tolerabilior fieret Romæ, ac notam Censoriam vitaret. Hac ergo Sanctione B. Ludovici claret illum Sacras electiones in integrum

restitui voluisse in Franciæ Regno. Quod etiam testatur Chopinus, Titulo primo Monastici art IX. *Hujusmodi pia Edicta revocavit in lucem Rex inclytæ memoriæ Ludovicus IX. promulgata lege liberorum Comitiorum de Ecclesiasticis præfecturis quæ Rectorem amisissent*, inquit, *Et Regia quidem hæc Sanctio exstat in Stylo Forensi Lutetiani Senatus: quam nos etiam recensuimus lib.* II. *Fiscalis Patrimonii Gallorum. Proinde, cum huic sancto Regi facta fuisset à Summo Pontifice potestas creandi instituendique Pastoris in Sacra quavis Diœcesi: Oratorque Regius Diploma Pontificis sanctissimo Principi obtulisset, hic Oratori suo respondit: Quod mea Romæ negotia ex Fide obieris laudo, quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris non probo: Intelligo enim quanto meæ privatim Regnique publicæ salutis discrimine illud suscipiam: ac protinus in ignem conjecit Romanos Codicillos. Id quod Broimardus D. Ludovici Cancellarius in ejus vita conscripsit.* Hucusque Chopinus.

Istinc vero intelligimus semper Curiæ Romanæ propositum fuisse cursum liberum Sacrarum Electionum impedire & illam maluisse Regum nominationibus quam Sacris Electionibus Beneficia conferri: ut proclivius Juris communis & disciplinæ Apostolicæ vallum auctoritate Principum Christianorum interveniente disturbaret.

III. Sed venio ad Caroli VII. Pragmaticam: *Carolus, Dei Gratia, Francorum Rex, uni-*

universis præsentes literas inspecturis salutem. Inscrutabilis Divinæ Altitudinis Providentia, per quam Reges regnant, rerumque publicarum gubernacula possident, potestatem Regiam ad hoc inter cætera ordinavit in terris, ut Ecclesiam sanctam pretioso Christi Sanguine fundatam, ejusque Ministros fideliter protegeret, atque tueretur; & sanctorum antiquorumque Patrum Decreta saluberrima, spiritu Dei promulgata, quibus nervus disciplinæ Ecclesiasticæ salutarisque doctrinæ viget ac solidatur, sinceriter exequi faceret, illibateque observari: sed & speciali debito Juramenti. In nostri diadematis susceptione insigni, & alias Ecclesiæ Regni & Delphinatus nostrorum præstiti, ad idipsum astringimur pariter & obligamur. Cum itaque Divina pietas his nostris temporibus fidelium cordibus inspirare dignata sit, ut sacrosancta generalis Synodus Ecclesiæ universalis in civitate Basileensi, tam ex immediate præcedentium Sacrorum Constantiensis & Senensis Conciliorum Generalium continuatione decretisque & ordinatione, quam duorum Romanorum Pontificum solenni convocatione etiam & approbatione (scilicet felicis recordationis Martini V. & Eugenii IV. moderni ad excolendum Dominici gregis agrum reformandumque debite in capite & in membris Statum Ecclesiasticum, &c.) coadunaretur, & celebraretur: ut repressis deformitatum scelerumque regnantium enormitatibus perniciosis, &c. divinus honor in terris lumen Catholicæ veritatis

 Chri-

Christo vera luce largiente effulgeret, Ecclesiasticæ libertatis conservatio subsisteret, & populus Christianus salubriter regeretur ac per duceretur in salutem. Quaquidem sancta generalis Synodus hujusmodi deformitates in Ecclesia Dei passim indies excrescere, & mores corruptissimos eandem inficere prospiciens, &c. certa Decreta certasque ordinationes & statuta solennia fecit & condidit, quæ per suos Oratores & Nuncios præcipuos, Nobis & Ecclesiæ Regni & Delphinatus nostrorum antedictorum præsentari fecit & exhiberi, &c. Quibus attente consideratis, ut viam tutiorem ac Deo gratiorem eligere valeremus, habita super his magni Consilii nostri deliberatione præmatura, Archiepiscopos, Episcopos, & Capitula notabilia, Abbates, Decanos, Præpositos, cæterosque Prælatos Ecclesiasticos ac divini & humani Juris Magistros, Doctores, & scientificos viros Universitatum Studiorum generalium, & alios de Regno & Delphinatu nostris in maximo copiosoque numero apud nos in hac nostra Bituricensi civitate celebri nuper convocari fecimus, & congregari: in quaquidem solenni congregatione, in capitulo sanctæ Capellæ nostræ Bituricensi celebrata Præsidentes, assistentibus Nobis primogenito nostro charissimo Ludovico Delphino Viennensi, Carolo Duce Borbonii, Carolo de Andegavia Coenomaniæ, Petro de Britannia nepote, Bernardo Comite Marchiæ, necnon Ludovico Vindocinii, & Gulielmo

lielmo de Tanquarvilla Comitibus consanguineis nostris, pluribusque Magnatibus, Proceribus, & viris peritissimis Ecclesiasticis & secularibus de magno Consilio nostro, & aliis ipsius præfati summi Pontificis, necnon & sanctæ Synodi generalis prædictæ solennes Oratores ad nos destinati super his & aliis statum Ecclesiæ Dei plurimum concernentibus, audivimus, attenteque audiri fecimus. Quibus ad plenum auditis, &c. præhabita inter eos multimoda diutinaque apertione, discussione, atque digestione, memorata ipsius sacræ Synodi Basileensis Decreta, ordinationes, & statuta aliqua simpliciter ut jacent: alia vero cum certis modificationibus & formis; non hæsitatione potestatis, & auctoritatis condentis, & promulgantis, ipsius scilicet sacræ Synodi, sed quatenus commoditatibus, temporibus, & moribus Regionum & personarum sæpefatorum nostrorum Regni & Delphinatus congruere, convenireque conspexerunt, prout inferius annotatur & inseritur, illico & indilate recipienda consenserunt, & acceptanda deliberaverunt. Quorum quidem Decretorum tenor sequitur. Et primo Decretum per sacrosanctum Constantiense Concilium factum & conditum & per sacrum generale Concilium Basileense renovatum, &c.

Antequam vero ad enarrationem Decretorum Pragmaticæ accedamus, evolvenda nobis est Analysis hujus procemii: primum autem docet Regi Christianissimo tanquam

juris Divini, Naturalis, & Canonici exequutori incumbere ex officio, operam navare, quatenus Decreta sacrorum Conciliorum in rem judicatam veniant: & ad id Galliæ Regem privato Sacramento die suæ inaugurationis obstringi. Secundo, Basileensem Synodum robur habere à duobus Conciliis & totidem Pontificibus, scilicet Constantiensi & Senensi Synodo, quarum Synodorum continuatio facta est Basileæ: deinde à Martino V. & Eugenio IV. certumque esse Patres Basileenses permulta sanctissima Decreta pro Ecclesiæ reformatione in capite & in membris sanxisse: quæ Oratores Basileensis Concilii ad Regem, & Gallicanam Ecclesiam detulerunt. Tertio, Regem sacrum suum Consistorium convocasse & consuluisse quidnam hic optimum esset factu: atque de ejus consilio Ecclesiam Gallicanam cum multis Theologiæ & utriusque Juris Doctoribus convocasse Biturigas ad Synodum, eique præsedisse, assidentibus Domino Delphino Ludovico, cum multis aliis Principibus Regii sanguinis, necnon aliis viris primatibus tum Ecclesiasticis, cum laicis: quos etiam inter Oratores Eugenii & Synodi Basileensis sederunt. Quarto, Synodum Bituricensem noluisse quicquam super re proposita ab Oratoribus Basileensis Concilii decernere, priusquam audiret Legatos Eugenii & Basileensis Concilii: ac tandem matura deliberatione habita,
cen-

cenſuiſſe Decreta Synodi Baſileenſis delectu habito recipi atque obſervari oportere in Galliis. Quinto, aliqua ejuſmodi Decretorum Synodi Baſileenſis quaſi verbum de verbo ut concepta erant, alia vero certis modificationibus adhibitis admiſſa atque recepta fuiſſe. Sexto, hanc modificationem non ideo factam à Prælatis Synodi Bituricenſis quod in dubium vocarent poteſtatem Baſileenſis Concilii in hujuſmodi Decretis condendis: ſed quod cernerent, non poſſe mitti in rem judicatam: propterea quod locis, temporibus, conſuetudini, & praxi Eccleſiæ Gallicanæ non penitus quadrarent. Nam in moralibus & politicis, quæ difficillimo negotio exequutioni mandari poſſunt, impoſſibilibus accenſentur: eſtque neceſſarium pro diverſitate locorum, Provinciarum ac temporum ſæpe leges immutare. Quibus accurate ponderatis facile erit depellere pueriles evagationes M. Andreæ Vallii contra Sanctionem Pragmaticam in proœmio ſui operis *de ſuprema poteſtate Papæ*: In quo effutit adverſus ſanctiſſimam Conſtitutionem quicquid cæcus ardor & animi impotentia illi ſuppeditat. Verum ad Pragmaticæ Titulos veniamus.

TITULUS I.

PRimo quidem occurrit Decretum *Frequens generalium Conciliorum celebratio agri dominici præcipua cultura eſt*, ex Seſſione

XXXIX.

XXXIX. Constantiensis & XI. Basileensis Concilii excerptum : quo quidem sigillatim declaratur utilitas atque necessitas frequenter habendorum Conciliorum generalium.

Eodem quoque titulo Decretum II. Sessionis Basileensis integrum exhibetur : quo interantur & confirmantur Canones IV. & V. Sessionis Constantiensis Synodi de auctoritate Concilii supra Papam in rebus ad fidem, exstirpationem schismatis, & Ecclesiæ reformationem tam in capite quam in membris spectantibus.

Item, aliud quoque Decretum ejusdem II. Sessionis Basileensis, quo Patres edixerunt Synodum Basileensem dissolvi aut alio traduci non posse à Pontifice aut à quocumque alio, absque ejusdem Synodi deliberatione & consensu.

II.

Titulus secundus Pragmaticæ est de sacris electionibus & confirmationibus, collectus ex XII. Sessione Basileensi quam Eugenius approbavit Sessione XVI. Etsi autem ab eo non probata fuisset, nihilominus satis auctoraretur jure divino, naturali, & praxi Ecclesiæ primitivæ : quam praxim Canon IV. & VI. Nicæni Concilii nobis exhibent. Nemoque est adversariorum qui negare possit *hanc Propositionem esse Juris divini & naturalis : vacante Sede Apostolica electionem fieri oportere*

III. Titu-

III.

Titulus tertius est de reservationibus, promptus ex XXIII. Sessione Basileensi habita priusquam Eugenius Synodum transtulisset Ferrariam : continetque abrogationem deformitatum atque abusuum intolerabilium quos supra Sessione XXIII. Basileensis Synodi retulimus.

VI.

Titulus quartus, est de collationibus beneficiorum, haustusque est ex XXXI. Sessione Basileensi : quo jus Præventionis in conferendis beneficiis aufertur Pontifici : quæ ratio beneficiorum deferendorum tota jure communi nititur quod revocatum fuit Sessione XII. Basileensi. Quantum vero attinet ad nominationes graduatorum nominatorum atque simplicium, ut vocant, Synodus Bituricensis quasdam hic adhibuit præcautiones, & moderationes : quas fieri posse ab unaquaque Synodo Provinciali supra ostendi in Pragmaticæ Sanctionis procemio.

V.

Titulus quintus, de causis : consule XXXI. Sessionem Basileensis Synodi : quæquidem Jure Communi & Canonibus Nicænis fulcitur.

VI.

De frivolis appellationibus : hic Titulus manat à Sessione XX. Basileensi quam approbavit Eugenius.

VII. De

VII.

De pacificis possessoribus, desumitur ex XXI. Sessione, quam Eugenius similiter conprobavit.

VIII.

De numero & qualitate Cardinalium: adi Sessionem XXIII. Basileensis Synodi habitam priusquam Eugenius Synodum dissolveret: & observa quæ ibidem notavimus.

IX.

De Annatis non solvendis lege XXI. Sessionem quam pariter Eugenius auctoravit.

X.

Quo modo divinum officium celebrandum sit habes in XXI. Sessione Basileensi.

XI.

Quo quisque tempore debeat esse in choro vide etiam Sessionem XXI.

XII.

Qualiter horæ Canonicæ dicendæ extra chorum, eadem Sessione XXI.

XIII.

De iis qui tempore divinorum officiorum vagantur per Ecclesiam eadem Sessione XXI.

XIV.

De pignorantibus cultum divinum Sessione XXI.

XV.

De tabula pendente in choro eadem Sessione XXI.

XVI. De

XVI.

De iis qui in Missa non complent CREDO, vel cantant Cantilenas, vel nimis basse MISSAM legunt, aut sine Ministro celebrant Sessione XXI.

XVII.

De tenentibus Capitula tempore Missæ Sessione XXI.

XVIII.

De Spectaculis in Ecclesia non faciendis Sessione XXI.

XIX.

De Concubinariis Sessione XX.

XX.

De Excommunicatis non vitandis, sive quando vitari aut non vitari debeant Sessione XX.

XXI.

De interdictis indifferenter non ponendis Sessione XX.

XXII.

De sublatione Clementinæ cap. *literis*, Titulo *de Probationibus* in VI. Lege Sessionem XXIII. Synodi Basileensis.

En summa omnium Titulorum Sanctionis Pragmaticæ: quibus Ecclesia Gallicana universa Decreta Synodi Basileensis ad jus commune recuperandum & ad Ecclesiæ reformationem in capite & in membris spectantia, servari voluit in Galliis: quem in finem Carolus VII. edictionem scivit, ut in rem judica-

tam

tam venirent: sicut revera illo regnante constanter viguerunt: consequenterque omnes Patrum Basileensium Constitutiones, suspensione atque abdicatione Eugenii excepta, observatæ sunt in Franciæ Regno.

IV. At vero universas objectiones Adversariorum contra Synodum Basileensem expendamus, hocque nobis tanto erit facilius: quod certissimum sit Synodum memoratam nihil aliud esse quam praxim Decretorum Concilii Constantiensis, ut supra ex Actis & utriusque Historia probavimus. Itaque quanto veritas & robur Decretorum Synodi Constantiensis altius incumbit supra firmam petram fundatur tanto etiam expeditior erit hæc defensio. Quotquot autem centum abhinc circiter annis in Synodo Basileensi oppugnanda velitati sunt, tela ex Cardinalium Turrecrematæ & Cajetani armamentario prompserunt. Nam opusculum Cajetani *de auctoritate Papæ & Concilii* est velut officina refertissima argutiarum & cavillationum ad veritatem hanc involvendam, & illudendum iis qui Historiam rerum gestarum ignorant. Ex omnibus recentioribus, Cardinalis Bellarminus ubertate & facilitate disputandi supra alios excellit: quocirca omnes ejus rationes in aciem proponemus partim ex lib. secundo *de Conciliorum auctoritate*. cap. XIX. partim ex tertio libro *de Ecclesia militante* cap. XVI. easque rationes summatim ad quatuorde-

decim revocabimus: quæ omnes præſertim impingunt in Elenchum à petitione Principii: quia ſupponunt Papam divinitus conſtitutum à Chriſto abſolutum & infallibilem monarcham Eccleſiæ. Hocque omnibus adverſariis propoſitum eſt, ad illos percellendos, *qui*, ut ait Gerſonius, *putant Papam unum eſſe Deum*: ſicque efficere conantur ut Baſileenſe Concilium *tanquam ſchiſmaticum & acephalum* repudietur. Vallius quidem *latrocinium nominat, & Pſeudoſynodo Epheſinæ comparat.* Verumtamen ipſo teſte Bellarmino tertio *de Eccleſia militante* cap. XVI. hæc Synodus legitima fuit uſque ad depoſitionem Eugenii de qua tantum agi cœptum eſt Seſſione XXVI. ut ſupra docui in Analyſi Seſſionis XVI. Concilii Baſileenſis.

Secundo, Bellarminus venditat, nullum Pontificem ea probaſſe quæ hæc Synodus de ſua auctoritate pro Concilii eminentia ſupra Papam definivit: Imovero Eugenium id nominatim repudiaſſe XXXVIII. Seſſione Synodi Baſileenſis. Contra rependo, Synodum legitime congregatam, ut Baſileenſem, Eccleſiam Catholicam repræſentare, & immediate auctoritatem habere à Chriſto, atque ex ſanctorum communione & conſenſu Catholico decernere: neque opus eſſe ut externam auctoritatem quærat cum internam habeat à Deo. Secundo, Patres Baſileenſes etiam fultos atque inſtructos fuiſſe Canoni-

bus

bus IV. & V. Sessionis Concilii Constantiensis de Concilii auctoritate supra Papam: quos Canones quinquies ad minus inculcarunt in II. III. XII. XVI. & XVIII. Sessionibus ab Eugenio comprobatis: hic enim Concilium Basileense usque ad XXVI. Sessionem auctoravit: tumque Eugenius à Concilio Basileensi descivit illudque Ferrariam transtulit. Tertio, illa XXXVIII. Sessio quam hic profert Bellarminus, solummodo testatur Eugenium respondisse & significasse tres veritates Sessione XXXIII. conclusas à Patribus, se nullo modo ad sensum Basileensis Synodi probare aut amplecti posse: hoc autem modo Patres Basileenses ratiocinantur.

Quicumque se pervicaciter opponit veritati fidei Catholicæ quam Constantiensis & Basileensis Synodus declaravit de generalis auctoritate supra Papam, est hæreticus atque omni dignitate Ecclesiastica privandus.

Sed Eugenius se pervicaciter opponit veritati Catholicæ de auctoritate Concilii supra Papam quam Synodus Constantiensis & Basileensis declaravit.

Ergo Eugenius est hæreticus atque omni dignitate Ecclesiastica privandus.

En quæstio Juris. nam posito quod est certissimum, Ecclesiam immediate habere claves & auctoritatem à Christo, & Concilium generale legitime congregatum Ecclesiam

Cat-

Catholicam repræsentare ac immediate auctoritatem habere à Deo: sequitur necessario, Concilium esse supra Papam: & continuo conclusionem factam Basileæ contra Eugenium Sessione XXXIII. esse indubitatam. Quod autem in vim hujus conclusionis abdicatus sit Eugenius apposite responsum est ab Ecclesia Gallicana in Synodo Bituricensi, non satis liquere utrum eo tempore quo est abdicatus Eugenius Sessione XXXIV. Basileensi, Concilium Basileense Ecclesiam universalem sufficienter repræsentaret, & utrum sufficiens esset numerus Episcoporum ad tam arduum & difficile negotium, quod universalem Ecclesiam intime respiciebat, atque ab omnibus Christianis Principibus mitti oportebat in rem judicatam, ad vitandum schisma. Quare hoc Bellarmini argumentum æquivocatione laborat: Si enim his verbis (*nullus Pontifex ea probavit quæ Synodus Basileensis de sua auctoritate definivit de eminentia Concilii supra Papam*) intelligat Decretum IV. & V. Sessionis Constantiensis toties inculcatum Basileæ, falsissimum; si vero referat ad Eugenii abdicationem verissimum est argumentum: quia nullus Pontifex, imo ne Galli quidem ratam gratam habuerunt Eugenii abdicationem. At Martinus V. & Eugenius Decreta IV. & V. Sessionis Constantiensis comprobarunt, ut supra demonstravimus.

Tertio, causantur Basileense Concilium quo tempore Eugenium deposuit & Felicem elegit non fuisse Concilium Ecclesiæ sed Conciliabulum schismaticum seditiosum, nulliusque prorsus auctoritatis: quia tum Legatus Papæ decesserat & Cardinalis Arelatensis sibi munus præsidendi assumpserat. Quæ Bellarmini collectio tribus constat membris: quoad primum elencho à petitione principii fingit Basileense Concilium schismaticum & acephalum fuisse post translationem factam ab Eugenio: quasi vero Ecclesia despotico Papæ Imperio subjiceretur: adeo ut Papa absolute & monarchice sanctorum communionem imperare & cogere posset: & Concilium generale immediate à Christo auctoritatem non haberet. Certe hæc etiam illis repugnant Principiis quæ ipsimet Adversarii coguntur admittere: puta Synodum Basileensem probatam Eugenio usque ad Sessionem XXVI. Ex quo insurgit, Decreta Synodi Constantiensis *de immediata Concilii auctoritate supra Papam*, toties iterata: *Item quod Concilium absque auctoritate Concilii dissolvi non possit*: robur habere ab ipsius Eugenii approbatione. Hic ego argumentor ad hominem. Et ita relinquitur, juxta Principia Bellarmini hanc suam Collectionem nullius esse ponderis. Quoniam dato quod Eugenius approbarit Concilium immediate habere auctoritatem à Christo ad dirigendum & co-
gen-

gendum Papam: & non posse dissolvi aut alio traduci absque Patrum auctoritate & consensu: sequitur Eugenium nullo modo potuisse dissolvere Basileensem Synodum aut alio traducere invitis Patribus. Hic de sola juris quæstione disputo. Alterum membrum Collectionis est, hanc Synodum fuisse seditiosam: quem Elenchum Vallius in prooemio sui libri de suprema potestate Papæ, pro sibi innata audacia & temeritate, multis adornat mendaciis. Siquidem perhibet Cardinalem Arelatensem virum sanctissimum, qui & superstes & mortuus claruit miraculis, *per fraudem silentium impetravisse ac etiam per fraudem Conclusiones confirmasse Sessione XXXIII. &c.* Sed contra rependo, veritatem rei gestæ quam supra ex Æneа Sylvio teste oculato exhibuimus docere Contentionem, Clamores, Tumultum, atque strepitum omnem, acceptum referri debere Panormitano & aliis qui tum pro Eugenio certabant ut Synodus dissolveretur: ac proinde omni conatu impedire volebant, ne Conclusiones trium veritatum factas in Deputationibus & Congregatione generali Concilii ad Synodum referrentur. Neque vero Cardinalis Arelatensis & alii Patres quicquam aliud à Panormitano ejusque assectis flagitabant, quam ut paterentur libertatem in Synodis necessariam & ritum anteactis Sessionibus perpetuò constanterque

 ser-

ſervatum, locum habere in Seſſione XXXIII. quod tamen nunquam conſequi potuerunt. Quare Æneas Sylvius memorat Cardinalem Arelatenſem, in illo immani ſtrepitu atque tumultu, aſtute ſilentium impetraſſe: quia finxit ſe alia de re quam de Concluſionibus velle referre ad Concilium, ut ſupra notavi in Hiſtoria Seſſionis XXXIII. Hic autem mirari ſubit, Vallium fraudem appellare, quod ſummæ prudentiæ & afflatui potius divino eſt adſcribendum in Arelatenſi: quamvis autem Æneas Sylvius vocabulo *aſtute* uſus ſit: hoc tamen nequaquam capit in malam partem, ut patet ex ejus integra narratione, quam qui legerit impoſturas Vallii demirabitur. Tertium membrum argumenti quod Cardinalis Arelatenſis munus præſidendi ſibi arrogarit ſolutum eſt ſupra in Analyſi Seſſionis XVII. Synodi Baſileenſis. Porro ut Vallius ſe ab hoc nodo expediat, ſcilicet quod Arelatenſis vivus & mortuus claruerit miraculis, Deus bone! quid non comminiſcitur? Hercle mus in pice non eſt ita implicatus dicendaque tacenda loquitur, & commiſerationem ſui commovet legentibus pagina XLIX. & L. operis ſui de ſuprema Romani Pontificis auctoritate. Denique, tota hæc collectio ſolam ſuſpenſionem atque abdicationem Eugenii, non cætera Acta Baſileenſis Synodi, id eſt, quæſtionem facti non quæſtionem Juris vocat in dubium.

Quarto

Quarto objiciunt, paucos tum fuisse Basileæ Episcopos atque contra usum & formam antiquorum Conciliorum sacerdotes in locum Episcoporum suffectos fuisse. Rependo illo ipso tempore quo Eugenius est depositus & Felix electus circiter trecentos adhuc Prælatos interfuisse Synodo atque præcipuam & majorem partem illorum fuisse Episcopos, aut Procuratores Episcoporum, ut claret ex Epistola Synodali *ad universos Christi fideles de obediendo Conciliis generalibus & cavendo ipsis inobedientes*, versus finem. Itaque putida est calumnia, dicere aliquos Presbyteros de novo introductos ad Concilium postquam Episcopi quidam recesserunt: ut revera non pauci Episcopi abierunt Basilea, post Conclusionem Synodalem trium veritatum: quarum virtute exauctoratus est Eugenius. Hoc quartum argumentum egregie depellitur à Magistro Thoma de Corcellis in Oratione quam habuit in Synodo Bituricensi coram Rege, quam Orationem habes paulo ante. Sed quis ferat Vallium asserentem nemini patuisse ingressum ad Basileensem Synodum, *nisi contra Eugenium juraque S. Sedis Apostolicæ palam protestaretur*? hoc enim impudentissimum est mendacium, homini quidem perfamiliare in tota sua scriptione: sed quia hæc se ad majorem gloriam Dei facere, laudem se mereri opinatur.

Quinto, Bellarminus Deum quoque suam dixisse sententiam contra Patres Basileenses, tamque horribili peste Basileam tunc afflixisse memorat, ut major pars eorum qui aderant vel peste extincti, vel Basilea secedere coacti fuerint: Quæ collectio ludificatur ab Elencho fallaciæ accidentis, & inconsequentiæ probationis: potestque in auctorem suum quasi hasta amentata retorqueri: estque mirabile, Bellarmino, dum hæc scribebat, non venisse in mentem pestilentiæ propter quam Synodus Ferrariensis translata est ab Eugenio Florentiam. Proculdubio, malum pœnæ, nisi forte ob aliquod scelus patratum irrogetur à magistratu, nemini vitio, imovero sæpissime laudi vertitur. *Quem enim Dominus diligit castigat*, Hebræorum XII. Neque caret specie miraculi, quod Patres Basileenses & inter alios Cardinalis Arelatensis sibi conscii recte facti atque necessitatis reformandæ Ecclesiæ in capite & in membris, ad vitanda schismata & hæreses impendentes decem annos continuos in statione pro emendanda Ecclesia continuarint: nec pluris grassantem pestilentiam quam levem aliquam febriculam fecerint aut reformidarint: Contra autem Eugenius & alii Prælati qui erant Ferrariæ, ad primum rumorem pestilentiæ sedes mutarint, & Florentiam convolarint: multo plus de propria quam de Ecclesiæ salute soli-

soliciti. Quibus accurate perpensis, etiam Vallii argutiæ depelluntur, narrantis urbem Bituricensem paulo post solutam Synodum Gallicanam, in qua Sanctio Pragmatica concinnata est, ultricibus flammis pene absumptam. Quis docuit hominem sic ab eventis de quæstione Juris statuere: cum ipsemet hos Ovidii versus laudet?

——————— *Careat successibus opto*
Quisquis ab eventu facta notanda putet.

Verum, pro hac ejus Cavillatione illi rependo, ab eo die quo Carolus VII. serio animum ad Ecclesiæ reformationem appulit atque Synodum Basileensem omni ope juvit & Pragmaticam in rem judicatam abire voluit, omnia regni sui negotia ei ex animi sui sententia contra Anglos processisse.

Sexto, Bellarminus ait, quo tempore Basileenses Eugenium abdicarunt, Florentinum Concilium celebratum, atque Eugenium ibidem præsedisse, ac eidem Episcopos Latinos & Græcos plures quidem assedisse sine comparatione quam essent Basileæ. Vallius, ut aliquid supra Bellarminum magistrum suum dicere videatur, comminiscitur nullum in Synodo Basileensi interfuisse Orientalium, neque voluisse interesse: ac proinde Florentinum non Basileense Concilinum censeri Oecumenicum: quia, inquit,

eo tempore præſentia Orientalium erat omnino neceſſaria: cum nondum ab Eccleſia Romana deſciviſſent. Hæc ille abſque ullo judicio. Quis enim eum docuit tum Græcos nondum ab Eccleſia Romana feciſſe divortium? Imo cum pridem ante deſciviſſent, ſpe alicujus auxilii impetrandi à Latinis contra Turcas, ſolicite admodum viam & rationem ſeſe de integro uniendi cum Latinis quærebant. Cæterum hæc Collectio Bellarmini quæſtionem Juris ex quæſtione facti implicat. Nam quæſtio Juris eſt, *Papam directivo & coactivo judicio Concilii generalis legitime congregati ſubjici: nec poſſe invito Concilio Concilium ipſum, quia immediate auctoritatem habet à Chriſto, diſſolvere aut alio tranſportare.* At pluralitas Epiſcoporum ſi tamen major fuit Florentiæ, quam Baſileæ nullo modo derogat Baſileenſis Concilii auctoritati.

Septimo, clamant in Synodo Florentina ſtatuta Conſtantienſis & Baſileenſis Synodi de auctoritate Concilii ſupra Papam edicto contrario *de auctoritate Papæ ſupra Concilium antiquata fuiſſe.* Hoc enim Bellarminus, Poſſevinus & Severinus Bivius obnoxius Conciliorum ſarcinator obtendunt ſed falſo, quia nullum ea de re factum eſt Decretum: neque illud aut in qua Seſſione conditum ſit proferunt. Fateor quidem Andream Coloſſenſem Epiſcopum, quem Eugenius cum Tarentino Epiſcopo Baſileam mi-

misererat, ut alias docuimus, Sessione VII. Synodi Florentinæ Colloquium habere cum Græcis hæcque narrare: *Stephanus Doctor vester ait cum vidisset quosdam Constantinopoli congregatos magno affectos Concilii convocandi desiderio eos vehementissime increpaverat, dicens quonam pacto injussu summi Pontificis ac ejus absente vicario Concilium convocare celebrareque potestis?* hæc ibi. Deinde Sessione XXV. versus finem quæ ultima est, refertur quod *Post aliquot dies frequenti Græcorum conventu in domo Imperatoris Latinis absentibus facto; post plurimam inter Græcos Disputationem, lectis Græcorum Doctorum de summi Pontificis potestate sententiis definitum fuit non solum Romanam Ecclesiam de Spiritus sancti processione pie sentire, verumetiam ipsi necessitate urgente Jure suo particulam illam* EX FILIOQUE. *Symbolo apponere licuisse. Necnon Romanum Pontificem Primatum in universum orbem tenere, beatique Petri Principis Apostolorum Successorem ac verum Vicarium & totius Ecclesiæ Caput, ac omnium Christianorum Patrem & Doctorem esse. Ipsique ad pascendam, regendam, & gubernandam universam Ecclesiam plenam à Domino nostro Jesu Christo potestatem fuisse traditam.* Quæ verba potius speciem Historicæ narrationis quam Synodalis Decreti præ se ferunt. Porro, in literis unionis Græcorum, quæ incipiunt:

Eugenius Episcopus servus servorum, legunturque ad calcem Synodi Florentinæ, hæc enarrantur in fine: *Item definimus sanctam Apostolicam Sedem & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorum esse B. Petri Principis Apostolorum, ac verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrum ac Doctorum existere: & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in Sacris Canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus cæterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem; tertius vero Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet Privilegiis omnibus, & Juribus eorum. Datum Florentiæ in Sessione publica Synodali solenniter in Ecclesia majore celebrata anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCXXXIX. *pridie Nonas Julii, Pontificatus nostri anno* IX. Deinde subjiciuntur Patrum subscritiones. Cæterum hæc Acta Florentinæ Synodi, cum Bulla Eugenii facta approbante Concilio, nullo modo auctoritati Decretorum Concilii Constantiensis & Basileensis derogant. Primum enim quæ ab Episcopo Colossensi

nar-

narrantur, Primatum S. Petri, non absolutam monarchiam aut despoticum Papæ Imperium Cajetani, Bellarmini, Vallii, & aliorum recentiorum probant. Ita ut sensus sit, Papam in vim Primatus regulariter & ordinarie potestatem habere convocandi, & concludendi Concilia subductis Patrum suffragiis, ut praxis ejusdem Synodi Florentinæ declarat. Secundo, quæ referuntur ultima Sessione, ostendunt quidem Romanam Ecclesiam habere Primatum super alias particulares Ecclesias, conformiter ad ea quæ in Synodo Constantiensi statuta sunt: non autem Papam absoluto pollere Imperio super universalem Ecclesiam congregatam in Synodum. Quare *Papa vocatur Successor ac verus B. Petri Vicarius, & totius Ecclesiæ Caput: Pater & Doctor omnium Christianorum*, Sessione XXV. sicut in Bulla Eugenii dicitur *Vicarius Christi, & in B. Petro habuisse potestatem pascendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam universalem: quemadmodum in gestis Conciliorum Oecumenicorum & in Sacris Canonibus continetur, &c.* Quibus accurate consideratis, dignoscimus Adversarios frustra esse in opponenda Synodo Florentina Decretis Concilii Constantiensis & Basileensis. Cujus rei non testem modo sed judicem fero Bellarminum, qui hujus objectionis architectus est, quam tamen funditus dilapidat libro secundo de Concilio-

ciliorum actoritate cap. XXIII. *Quamvis*, ait, *postea in Concilio Florentino & Lateranensi ultimo videatur quæstio de superioritate Papæ supra Concilium definita, tamen quia Florentinum Concilium non ita expresse hoc definivit, & de Concilio Lateranensi, quod expressissime rem definivit, nonnulli dubitant an fuerit vere Generale Concilium: Ideo usque ad hanc diem quæstio superest etiam inter Catholicos.* Vallius autem quasi licitatione facta super Bellarminum hæc amplius enarrat quarta parte quæst. VII. *Posterior vero Sententia qua Pontifex Concilio superior statuitur, non est etiam de Fide: tum quia satis constat Concilium Florentinum auctoritatem Papæ supra Concilium non definivisse, etsi definiat eum esse Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput, & à Christo illi traditam potestatem regendi universalem Ecclesiam: quod nemo eorum qui contra sentiunt negat. Illius enim potestatem in Ecclesiam universalem, ubique locorum diffusam admittunt, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem eum agnoscunt: sed contendunt Concilium Florentinum non propterea definivisse eum in Ecclesiam universalem, quatenus est legitime congregata, & in Concilio aliquo generaliter per suos Prælatos unita & consentiens, potestatem habere.* Hucusque Vallius clarissime affirmans Sententiam de superioritate Papæ in Concilium non esse de Fide: quod etiam docet Bellarminus: ut quid ergo in

in eos qui Decreta Synodi Constantiensis & Basileensis propugnant, non aliter quam in schismaticos & hæreticos oblatrant?

Octavo, Bellarminus contendit Patres Basileenses cum suo Papa Felice V. propria Decreta reprobasse, & Nicolao V. Successori Eugenii sese submisisse: ac proinde manifestum esse mendacium dicere Nicolaum V. Synodum Basileensem approbasse: cum ea solummodo confirmarit quæ Basileenses constituerant circa Beneficia & Censuras Ecclesiasticas. Quæ Collectio laborat Elencho à petitione principii, & quæstione facti Juris quæstionem obliterat: ac si Nicolaus PP. esset absolutus Ecclesiæ Monarcha, & Canones Conciliorum robur haberent à solo Papa, non autem à Sanctorum Communione. Quod si effectus Decretorum Synodi Basileensis & Constantiensis via facti aut alio casu turbantur vel impediuntur, hoc quidem Juri non detrahit. Quod autem memorat Bellarminus Patres Basileenses cum Papæ suo Felice propria antiquasse Decreta, falsissimum est. Qui enim hoc fieri posset, cum Gallia, Germania, Anglia & aliæ Provinciæ Septentrionales Decreta Basileensis Synodi mordicus tuerentur, & magno flagrarent odio adversus Eugenium propter impeditam Ecclesiæ emendationem? Verum Eugenio vita functo M CCCC XL VII. cum odium illud conceptum paulatim deferveſceret,

ret, Concordia quidem facilor evasit postquam Nicolaus ad Cathediam Apostolicam evectus est: hic enim eum in finem suos Oratores misit ad Principes Christianos pro ineunda Pace & quidem Nicolaum Cusanum ad Regem Franciæ, & Fredericum Imperatorem, ut Ciaconius auctor est in vita Nicolai V. At Monstreletus, qui illo tempore scribebat Historiam, narrat Galliæ Regem tantum effecisse apud Germaniæ & aliarum Nationum Principes, ut Nicolaus & Felix V. in gratiam redirent. Etsi enim Galliarum Rex universa Acta Synodi Basileensis, excepta Eugenii depositione, auctoravisset: nihilominus cum memoria schismatum paulo ante extinctorum in Synodo Constantiensi esset recentissima, non cessabat Felicem & Patres Basileenses qui Losannæ sedebant interpellare, ut cum Nicolao concordarent: Bullam istius Concordiæ atque unionis leges in fine Actorum Synodi Basileensis: qua Nicolaus V. Felicem creat Decanum Collegii Cardinalium ac perpetuum Legatum Apostolicum in Germania, ut docet Ciaconius: Nam Germania Felicem pro Papa agnoverat. Cæterum Acta Synodi Basileensis his atque similibus verbis à Nicolao comprobantur: *Qualitercumque facta, gesta, concessa, data, indulta, disposita, & ordinata etiamsi ad majora & graviora, aut alterius cujuscumque naturæ à præmissis existant, & specialem requirant expres-*

expressionem, quae volumus & decernimus pro expressis specifice haberi, cum omnibus & singulis inde sequutis. Ac etiam omnia & singula per Ordinarios in dictis locis facta pro bono pacis & unionis Ecclesiae motu proprio, ex scientia & de Apostolicae potestatis plenitudine, de consilio & assensu Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium praesentium serie approbamus, ratificamus, & etiam confirmamus, rataque & firma haberi volumus, &c. Quam Nicolai approbationem Bellarminus ad solas Collationes beneficiorum restringit: verum lectione hujus Bullae patet multa alia complecti, quibus recensendis immorari nolo: quia, ut jam monui, haec ad quaestionem facti spectant.

Porro, qui ad haec animum adjunxerit, nullo negotio mendacia atque imposturas Serrani Historici contra Synodum Basileensem & Felicem V. deteget: quas Sycophantias Magister Andreas Vallius avidissime amplexus est: etsi optime teneret Serranum fuisse Sectarium: imo etiam permulta Vallius de suo adglutinavit, cujusmodi est hoc cauponale proverbium Gallorum, *faire ripaille*: ductum ab illorum Nebulonum pergraecationibus quos Galli vocant *Ribaldos*: & tamen ille sumptum ait à modo opipare vivendi Felicis, cum in Eremum Ripaliam secessisset, quod est causam calumniandi consulto quaerere. Sed quotusquisque Serranum & Vallium

ferat

ferat perhibentes Amedeum Sabaudiæ Ducem ad vitam ſolitariam deſiderio Papatus convolaſſe? An ille augurari potuiſſet, ſe à Baſileenſibus electum iri: cum initio anni M CCCC XXXVII. antequam Eugenius Baſileenſe Concilium diſſolviſſet ſeſe Ripaliam contuliſſet? Certe Eugenius ſolummodo depoſitus eſt anno M CCCC XXXIX. Sed urget Vallius, Franciæ Regem ſuum atque Regis Anglicani exercitum Duce Delphino miſiſſe in Helvetiam & alias Provincias quæ Felicem V. agnoſcebant pro Papa: idque argumento eſſe Carolum VII. neque Synodum Baſileenſem neque Felicem approbaviſſe. Reſpondeo, Vallium ſuo more ſemper cavillari: eumque rationem Hiſtoriæ hujus latere. Nam pactis inter Franciæ & Angliæ Reges induciis: cum univerſa Gallia bellis civilibus plane exhauſta & populata eſſet, Rex Franciæ Jure belli & Gentium ſeſe in Provincias viciniores (quarum Principes & Reguli Carolo dum minus proſpera fortuna uteretur adverſi infeſtique fuerant) exoneravit, ut exercitui ſuo pabulum quæreret, atque illatas ſibi injurias ulciſceretur. Præcipuus autem hujus belli impetus, præſertim in Comitatum Montiſpellicardi fuſus eſt: neque affines Provinciæ Sabaudia nimirum & Helvetia, ut in bellis fieri conſuevit, hac populatione expertes fuere. Certum quidem eſt Amedeum Sabaudiæ Ducem affli-

afflictæ fortunæ Caroli VII. insultasse: verumtamen, ob Synodum Basileensem, cujus Decreta Carolus tuebatur, & in rem judicatam Sanctione Pragmatica miserat, facile injuriarum Amedei oblitus est: propterea quod à Patribus Basileensibus delectus fuisset in Pontificem. Adeo quidem, ut Felicis dignitatem quoad ejus fieri potuit Carolus propugnaverit, quando actum est de ineunda Concordia pro bono Pacis Reipublicæ Christianæ. Quod si Carolus tantopere infestus fuisset Felici, quantopere Vallius comminiscitur: nihil quidem causæ habuisset Nicolaus V. mittere ad Franciæ Regem Cardinalem Cusanum, ut ei persuaderet solum Eugenium verum atque legitimum esse Pontificem, Felicem vero Antipapam, ut narrat Ciaconius in vita Nicolai. Quid etiam causæ habuisset Carolus dare operam ut ratio haberetur amplitudinis Felicis atque Decanus Cardinalium & Legatus perpetuus in Germania haberetur? Equidem ratio postulabat Vallium potius Nicolao V. Ciaconio, & Monstreleto Historicis Catholicis (si tamen eas unquam legit) quam uni Serrano, qui de Felice non tam ex rei veritate quam ex proprio ingenio loquitur, auscultare.

Nonum Argumentum à Severino Bivio in Notis ad Basileense Concilium suggeritur: ubi affirmat Decreta unanimi Patrum Basileensium consensu conclusa non fuisse: & multos Prælatos ac Doctores utriusque Juris;

ejusmodi Decretis acriter obstitisse: quod verum est de conclusione trium veritatum Sessionis XXXIII. quarum vi Eugenius postea exauctoratus est: falsum autem de aliis Decretis ex quibus prædictarum veritatum Conclusio evidenter ac necessario colligebatur. Itaque hoc Argumentum Bivii dolosum est, & facile ex Actis ipsis depellitur: quæ docent nullos se opposuisse Conclusioni trium veritatum præter Panormitanum, Ludovicum Romanum, Nicolaum Cusanum, & quosdam alios Prælatos, quos Eugenius spe Cardinalatus ad suas partes allexerat. Siquidem Æneas Sylvius narrat Ludovicum Romanum Cardinalatu præmatura morte privatum: Ciaconius autem Cusanum factum Cardinalem à Nicolao V.

Decimo, idem Bivius memorat Patres Basileenses contra morem ante usitatum in Synodis celebrandis pati noluisse Eugenii Legatos præsidere Concilio: quod est falsissimum. Adi Lector Sessionem XVIII. Synodi Basileensis, & hominum istorum fidem ac frontem miraberis: cum enim Argumentis saltem probabilibus careant, mendaciis aperte grassantur in veritatem.

Undecimo, idem Bivius causatur, Sessionem XVIII. Basileensem in qua Decretum IV. & V. Sessionis Constantiensis renovatum & inculcatum fuit, habitam absente Sigismundo Imperatore, & Legatis Regis Castellæ,

at-

atque Angliæ. Quæ objectio plus satis depellitur veritate actorum Sessione XVIII.

Duodecimo, Bellarminus lib. II. de Conciliorum auctoritate, cap. XVII. instat sub Leone X. MCCCCCXVI. Synodum Lateranensem Sessione XI. *Diserte & ex professo docuisse Pontificem esse supra omnia Concilia: & hac ratione contraria Decreta facta in Constantiensi & Basileensi Concilio reprobata fuisse: Solum Romanum Poificem tanquam super omnia Concilia auctoritatem habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus & potestatem habere, nedum ex Sacra Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorumdem Conciliornm confessione manifeste constat,* inquit *Leo X. Sessione* X. *Quem ad locum Lateranensis Concilii nihil potest responderi*, ait Bellarminus, *nisi vel Lateranensem Synodum non fuisse Concilium generale: vel non definivisse hoc tanquam de fide. Sed non fuisse generale vix dici potest: Nam etsi fuerunt Episcopi paucissimi, quia ad centum non pervenerunt, tamen Concilium omnibus patebat, & omnes vocati fuerant: & in eo summus Pontifex verus & indubitatus præsidebat. Quod autem non fuerit receptum saltem ab omnibus parum refert: Nam Decreta Conciliorum non indigent approbatione populi: cum ab eo non accipiant auctoritatem. Verum est quidem Decreta de moribus si*

 non

non recipiantur, & Pontifex conniveat, tandem consuetudine abrogari: sed hoc non accidit ex eo quod indigeant populi approbatione, sed quia Decreta mutabilia sunt: & cum Pontifex videt longo tempore ea non servari & tacet censetur ipse abrogare. At Decreta de fide immutabilia sunt, nec possunt ullo modo abrogari posteaquam semel statuta sunt: tale autem est hoc de quo agimus. Quod vero Concilium hoc rem istam non definierit proprie ut Decretum fide Catholica tenendum dubium est: & ideo non sunt proprie hæretici qui contrarium sentiunt, sed à temeritate magna excusari non possunt. Huc usque Bellarminus, quem adversus manifestam veritatem ita perplexari nihil quidem mirabile est. Quoniam illorum qui veritati bellum indixerunt proprium est *in circuitu ambulare.* Profecto, alias quæstionem hanc de fide alias non de fide esse asserit. Veniamus ad Analysim ejus Collectionis quæ sex notabilia continet. Primum, quod hic docet Lateranense Concilium reprobasse Decretum Synodi Constantiensis & Basileensis de superioritate Concilii supra Papam: idipsum destruit cap. XIII, lib. II. de Conciliorum auctoritate his verbis. *Quamvis*, inquit, *postea in Concilio Florentino & Lateranensi ultimo quæstio de superioritate Papæ definita videatur: tamen quia Florentinum Concilium non ita expresse hoc definivit, & de Concilio Lateranensi, quod expressissime rem definivit, nonnulli dubitant an fuerit vere*

re

re generale, ideo usque ad hanc diem quæstio super est etiam inter Catholicos. Hæc ille. Deinde eodem lib. II. de Conciliorum auctoritate, cap. XVII. *Quod vero Concilium Lateranense rem istam non definierit poprie ut Decretum fide Catholica tenendum, dubium est: & ideo non sunt proprie hæretici qui contrarium sentiunt.* Itaque hinc claret ex Bellarmino, Concilium Lateranense non hanc quæstionem definivisse tanquam Articulum de fide. Secundo, verba Lateranensis Synodi quæ Bellarminus proponit infra amplius explicabuntur cum de Historia hujus Synodi agetur, ubi demonstrabimus Historice tantum recitari à Leone X. non Synodice decerni à Patribus. Tertio, quod objicit nihil posse responderi ad hunc locum Synodi Lateranensis quem exhibet, ipsemet abunde respondet: Primo, affirmans dubitari *an Synodus Lateranensis vere fuerit generalis*: Nam generalem non fuisse convenit inter omnes ut statim probabitur: Secundo, dum perhibet, *Rem istam non definivisse proprie ut Decretum fide Catholica tenendum, &c.* Quarto, falsum est Concilium Lateranense omnibus patuisse, cum vi armata indictum fuerit à Julio II. & continuatum à Leone X. in armis ut mox demonstrabitur. Quinto, quod contendit parum interesse Concilium Lateranense minime receptum fuisse ab omnibus, cum res qua de agitur non sit Decretum morum

mutabile, ſed Decretum fidei immutabile: *Nam*, inquit, *tale eſt quo de agimus*, *&c.* Certe ſecum ipſe pugnat: aut ſaltem valde in ſuis aſſertionibus inconſtans eſt: quippe qui explicate dixerit hoc Decretum quo de agitur, *non eſſe fide Catholica tenendum & de eodem poſſe dubitari, imo etiam non eſſe definitum ab Eccleſia.* Sexto, quemadmodum verum eſt Decreta morum non recipere auctoritatem à populo, ſed à ſanctorum Communione & Catholico conſenſu Eccleſiæ qui Prælatos Eccleſiæ præcipue complectitur: ita falſum, leges morales aut Politicas Eccleſiæ à ſolo Papa tamquam à Monarcha abſoluto pendere: cum ipſe Communionem Sanctorum nec cogere, nec invitam, inconſultam, aut diſſentientem Eccleſiam obligare poſſit. Quando enim Eccleſiæ regimen Ariſtocraticum eſt, actualis obligatio legum ab Eccleſiæ conſenſu non à ſolo Papa proficiſcitur. Quocirca Bellarminus multipliciter lectorem fruſtratur: quid autem de Lateranenſi Synodo tenendum ſit Vallius quidem graphice demonſtrat quarta Parte Libri de ſuprema poteſtate Papæ quæſt. VII. *Ad Concilium vero Lateranenſe*, ait, *quod multo expreſſius loquitur quam Florentinum*, *variæ ſunt reſponſiones: quidam enim ajunt non fuiſſe vere & proprie generale: cum ei vix centum Epiſcopi interfuerint. Alii dicunt caput illud* XI. (Seſſionem XI. intelligit) *in quo de auctoritate Concilii ſu-*

ſupra Pontificem mentio fit, à Concilio non fuiſſe diſcuſſum aut examinatum, ſed tantum perlectum coram Prælatis Concilii, qui ſine prævio examine illud approbaverunt. Ideoque dici non poſſe Conciliariter concluſum & definitum, ſicut de Concilii Conſtantienſis definitione dictum eſt. Alii ſic rem expediunt, etiamſi, inquiunt, Concilium abſolute fuiſſet generale (quod tamen propter Epiſcoporum paucitatem relinquitur incertum) tamen rem ipſam ut Decretum fidei Catholicæ non definiunt: nulla enim in verbis Concilii nota apparet ex qua fidei definitionem colligamus. Nam nec Anathema pronunciat in eos qui contra ſentient: nec dicit ſe hoc expreſſe aut proprie definire aut eſſe de neceſſitate ſalutis ita credere, vel quid ſimile, ex quo expreſſa definitio colligatur. Alii denique reſpondent: Concilium eatenus auctoritatem Papæ ſupra Concilium definire, quatenus id ex Sacris Scripturis, Patribus, & antiquis Canonibus manifeſte conſtare cenſetur. Ad hæc enim, ſi omnia verba attente expendantur, vim ſuæ definitionis, ſi quæ ſit, Concilium revocat. Atqui quod res illa de fide ſit ex nullo Scripturæ, Patrum, aut antiquorum Canonum teſtimonio conſtat: igitur non poteſt illud dici à Concilio Lateranenſi tanquam de fide definitum. CÆTERUM NON TANTUM NEUTRA HARUM OPINIONUM HÆRETICA, *ſed etiam neutra eſt erronea & temeraria ſaltem temeritate opinionis,* Hæc Vallius, qui ea deſtruit quæ magno & cæco

conatu ante architectatus est contra Vig-nium & Richerium : *Scilicet schismatic & hæreticum esse docere Papam non esse absol-tum Ecclesiæ Monarcham.* Quæ, cum ita sin planum evadit quam sint districti adversa in suis constituendis opinionibus, cum ec inter oppositos fluctus affirmationis atqu negationis collidi experiamur. At vero nihi clarius definitione Patrum Constantiensis & Basileensis Synodi.

Decimum tertium Argumentum Vallius suppeditat in Procemio libri sui de suprema potestate Papæ, ubi in fronte hoc adscribit Argumentum quasi perenne testimonium suæ confidentiæ & temeritatis : *Quale judicium de Concilio Basileensi ferendum sit, tam in Ecclesia universali, quam in Gallia, inquit.* Quo lemmate, perplexum, inconstans, ac sibi ipsi sæpe contrarium & puerile judicium Vallii tanquam aliquod Oraculum non modo Gallicanæ, sed etiam universali Ecclesiæ sequendum proponitur. Verum de re ipsa videamus. Ille pro monimento errorum Synodi Basileensis ista subnectit : nimirum *Patres Basileenses definiendo beatissimam Virginem à peccato originali immunem, nullique de cætero licitum esse in contrarium docere, aut prædicare, graviter peccasse : cum postea Sixtus* IV. *Capite* Alma Mater, *opinionem hanc de immaculata Conceptione liberam unicuique reli-*

que-

querit, & Tridentinum Concilium ejusmodi Constitutionem Sixti approbarit: Hæc ibi quæquidem parte quarta quæst. VI. ejusdem libri sic diluit: ubi disputat num Conciliorum Decreta quæ Pontifex minime confirmavit, alicujus sint roboris. *Definitiones veterum Conciliorum quæ neque sunt approbatæ, semper magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia propter multitudinem Prælatorum & Doctorum qui Conciliis interesse solent: multitudo enim sapientum sanitas est Orbis terrarum, Sapientiæ* VI. Et in hoc genere reponit *Decretum Concilii Basileensis* (*quicquid sit de illius validitate*) *de immaculata Conceptione: quod quamvis de Fide non sit, nihilominus propter multitudinem Patrum & Doctorum qui ad ei decernendum convenerunt plurimum æstimatur.* Quæ duæ Vallii propositiones, aut quidem contrariæ aut saltem parum cohærentes sunt: quia si illud Decretum tanti ducitur propter multitudinem Doctorum qui illud condiderunt: sequitur Patres Basileenses non graviter peccasse, ut ille affirmat initio sui libri. Porro hæc multitudo Patrum & Doctorum, quam tanti ducit Vallius in Decrero Fidei constituendo, illa ipsamet est quæ Eugenium suspendit & exauctoravit: dicat jam cur pluris debeat fieri in una re quam in alia. Quod attinet ad Sixti Constitutionem à Tridentinis Patribus probatam, vide quæ supra disputavimus de

immaculata Conceptione, cap. v. hujus libri.

Decimum quartum Argumentum idem Vallius oggerit in præfatione libri memorati: dum Basileenses ideo criminatur, quod plenarium Jus, & auctoritatem Indulgentiarum concedendarum sibi temere arrogarint: cum hoc uni & soli Romano Pontifici competat, nec absente Papa à Concilio possint, ut ariolatur. Subtexit etiam novam erroris circumstantiam, eo quod Patres Basileenses ejusmodi Indulgentias quæstuosas effecerint contra Lateranense, Lugdunense & Viennense Concilium. *Nam*, inquit, *iis duntaxat conceduntur Indulgentiæ ejusmodi, qui certam pecuniæ summam pro Orientalium subsidiis dependerent. Igitur tantum abest, ut Basileense Concilium in suis definitionibus vim Fidei habeat, cum potius si in omnibus ei adhærere velimus, nos ad errorem & peccatum præcipites ferat.* Hactenus Andabata: cui argumento primum respondeo ad hominem: Patres Basileenses ejusmodi Indulgentias largitos fuisse cum Eugenius Concilio adhæreret; easque Eugenium per suos Legatos approbasse Sessione XXIV. Hercle juxta principia Adversariorum Concilium Basileense legitimum fuit usque ad Sessionem XXVI. ut supra docuimus. Secundo, ex rei veritate oppono, Vallium supponere Papam esse absolutum infallibilem Monarcham Ecclesiæ. Tertio; Scholæ Parisiensis Doctores à majori ad minus asserere Concilium

lium Generale posse Indulgentias erogare supra Papam. Almainus de auctoritate Ecclesiæ cap. v. circa medium: *Dantur Indulgentiæ de Thesauro Ecclesiæ, & non de Thesauro Papæ: ergo Ecclesia à fortiori potest eas dare quam Papa.* Deinde cap. VII. *Petrus & quilibet ejus Successor utitur clavibus vice Ecclesiæ universalis quam significat,* (id est repræsentat) *ita quod Summus Pontifex excommunicat, confert Beneficia, similiter & Indulgentias & sic de aliis actibus Ecclesiasticæ potestatis, auctoritate totius Ecclesiæ, &c.* Præterea lib. pe potestate Ecclesiastica & Laica quæst. I. XV. circa medium: *Concilium Generale potest dare Indulgentias, & hoc fuit practicatum in Cancilio Basileensi. Nam Græci excusabant se quod propter paupertatem non poterant venire ad Concilium: tunc Concilium dedit Indulgentias largientibus bona & pecunias pro expensis Græcorum. Ista Propositio sic suadetur: Indulgentiæ procedunt à clave ita quod datio Indulgentiarum est effectus clavis Ecclesiæ. Sed clavis Regni Cælorum est data Petro, non tanquam Personæ privatæ, sed ut repræsentanti totam Ecclesiam* XXIV. *quæst.* I. *Can.* Quodcumque. *Nam fuerunt claves Ecclesiæ datæ B. Petro non ut singulari Personæ,* dicit Augustinus, *sed ut repræsentanti Ecclesiam. Ergo Concilium Generale repræsentans immediate totam Ecclesiam universalem, & immediatius quam Petrus habet ipsam potestatem. Item, Concilium Generale potest limitare Indul-*

gen-

gentiarum largitionem in ipsis Episcopis & Prælatis : ergo eminentius habet illam potestatem: Patet antecedens in cap. Cum eo , *de pœnitentiis & remissionibus , ubi limitat Concilium quod in Dedicatione non dentur Indulgentiæ ultra annum , & in Anniversariis ultra quadraginta dies. Ergo Concilium habet potestatem limitandi Indulgentias & per consequens conferendi.* Hucusque Almanius. Quod autem Vallius queritur ejusmodi Indulgentias fuisse quæstuosas, ac propterea nonam erroris circumstantiam inducit : putida est cavillatio. An obsecro novum atque insolitum est in Indulgentiarum erogatione , clausulam inseri de largienda eleemosyna , & conferendo usibus piis : cujusmodi sunt Ecclesiarum vel Nosocomiorum ædificationes novæ, aut instaurationes ; Item captivorum liberationes , sumptus necessarii ad Bellum Sacrum contra Turcas, & alia ejusmodi. Quid ergo Vallius ægre fert collectam pecuniam ope Indulgentiarum ad Græcorum unionem instaurandam. Cum Græci adeo pauperrimi essent , ut non haberent necessaria ad iter faciendum & vivendum. Porro , impudentissimum atque intolerandum est mendacium , dicere Indulgentias illis solum concessas à Patribus Basileensibus, qui pro Græcorum subsidio pecunias largirentur : cum omnibus etiam patuerint pauperibus, mendicantibus, & quibuscunque Religiosis , nihil quicquam proprii

possi-

possidentibus, modo jejunarent atque Orationes ad Deum pro unione Orientalis Ecclesiæ cum Latina funderent. Hoc enim nominatim legitur Sessione XXIV. Basileensi. Et ita liquet, Vallium admodum esse confidentem, cum de industria calumnias, & mendacia contra veritatem Actorum ferat: quod ab homine Christiano, nedum à Professore regio Theologiæ, valde abhorret.

Certe, ubi Curiæ Romanæ homines omnem impenderunt industriam & vim ingenii in Actibus Synodi Basileensis oppugnandis: ac proprio testimonio conscientiæ se hilum profecisse animadverterunt: tandem Cardinalis Bellarminus, sicut ego certo accepi ab iis qui idipsum apprime norunt, auctor & suasor fuit, ut tota Synodus Basileensis cum omnibus Actibus Synodalibus ex editione Romana Conciliorum tanquam spuria aberaderetur. Quod incœptum facinus quidem est absoluta dignum Monarchia Curiæ Romanæ, cui propositum est quod jure non potest id via facti consequi: præsertim sub imbecillo & titubante Christianorum Principum statu. Ex quo inimus recte dictum à Gersonio jam superius laudato Sessione ultima Synodi Constantiensis: *permulta esse ad Doctrinam fidei Catholicæ, & optimam Ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem spectantia, quæ nunquam poterunt absque forti favori potentiæ secularis in rem judicatam mitti.* Quasi diceret frustra

ſtra eſſe definitum ab Eccleſia Concilium immediate habere auctoritatem à Chriſto, & Papam judicio directivo & coactivo Eccleſiæ & Concilii generalis ſubeſſe, atque Eccleſiam in capite & in membris eſſe emendandam; niſi Principes Chriſtiani tanquam Juris divini, naturalis & Canonici vindices, id exequutioni mandent. Recte quidem Patres Baſileenſes in quadam reſponſione Synodali data Baſileæ Idibus Junii MCCCCXXXIV. *Quis hunc pernicioſiſſimum errorem in Eccleſia invaleſcere patiatur, ut credat unicum ſummum Pontificem innumeros Prælatos & doctiſſimos ac ſapientiſſimos homines Chriſtianos ex omnibus mundi finibus Aſia, Africa, & Europa in Synodum collectos, non tantum ſapientia & animi perſpicacitate antevertere; verum etiam illos quocumque gentium & locorum voluerit poſſe transferre & circumagere? Ita ut nemini fas ſit dicere Pontifici, Cur ita facis?* quaſi vero Eccleſia deſpotico Papæ imperio ſubjiceretur: & Dominus aliam quam pure pute miniſterialem ſpiritualem poteſtatem B. Petro reliquiſſet.

FINIS.

Index Rerum præcipuarum quæ in his duobus Libris continentur.

Prior numerus Librum, posterior Paginam notat.

B.

Car-

D.

N.

fiab

Prin-

FINIS.